

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

* 12
P.C.N.

12
'05
T1-906



OPUSCULUM
^{D E}
V E R A,
canon et libri mei
F A L S A
FIDEI REGULA,
In quo ostenditur, nihil pos-
se Fide Divina credi, nihil in re-
bus Fidei Controversis decidi, nisi ad Ec-
clesiæ sensum, & traditionem
recurratur;

R. R. JOANNE
RAJCSANI,
è Societate JESU, SS. Theologiæ
Doctore, & in Alma Regia Academia Claudio-
politana in Transylvania, Inclytæ Facul-
tatis Philosophicæ DECANO
concinnatum.



CASSOVIAE, Typis Academicis,
per Joan: Henricum Frauenheim. 1723.





Præfatio ad Lectorem.



N præsenti opusculo, duo intendo ostendere, Lector Benevolè: Primo, doctrinam totam Acatholicorum in materia Fidei, quocunque nomine illi vocari velint, sive Reformati, sive Evangelici, sive Unitarii &c. fundatam esse in arena, versarique in circulo, uti dieitur: vitiōso, dum Ecclesiæ sensu, & traditione exclusis, fidei Normam, seu Regulam adæquatam, ac Judicem Controversiarum fidei solam prætendunt scripturam sacram, ex qua sua Regula, nec de ipsa scriptura, nec de scripturæ legitimo, ac genuino sensu, minus de suis dogmatibus, quæ scripturæ sensibus firmare nituntur, certi esse possunt. Secundò, doctrinam Catholicam suam habere firmitatem, effigie firmatam super petram, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Ut autem me, quantum licet, modo eorum loquendi accommodem; sicut illi scripturam solam, vocant Normam, & Judicem in rebus fidei Controversis, i

¶ ego subinde hæc confundo, licet sciam, aliud esse
Judicem, (hinc specialiter ostendo Capite ultimo,
scripturam non posse esse Judicem) aliud Normam,
seu Regulam: Judex siquidem est, quis fert sententiam
inter litigantes; Norma vero, seu Regula est, juxta
quam à Judice sententia pronunciari debet. Ca-
tholicis, in rebus fidei Controversis Judex est Ecclesia;
Norma vero, seu Regula, secundum quam fert senten-
tiam Ecclesia, est Sacra Scriptura, & traditio. Ar-
gumento universali, eoque fundamentali, ut omnes
Fidei Catholicæ articuli stabiliuntur, ita eodem o-
mnes Acatolicorum errores (nullum ex professo im-
pugnando, nisi exempli causâ, in quantum opus est,
quoad effectum, qui intenditur) evertantur; qui
modus adversus errores procedendi, & brevior est,
& utilior: nam quasi ad radicem posita securi, uno
ictu totam arborem prosternit, dum in universum
ostendit, fidem Acatolicorum, juxta eorum doctri-
nam Regulâ carere, nisi credant id, quod maximè
impugnant, Ecclesiæ scilicet in decidendis Controver-
siis fidei infallibilitatem, sensum, & traditionem:
qua, si admittant, iterum ad hanc Regulam revoca-
ta eorum dogmata omnia corruunt manifestè.

Opusculum Benevoli Lector, pari, ac Tibi
offerò, affectu accipe, ac Vale.



C A



CAPUT I.

*Præmittuntur quædam
de Fide.*

I. *Idem esse ad salutem necessaria-
riam indubitatum est ; dicit enim Salvator : Qui non credi-
derit : condemnabitur. Marc.* *Fides ad
salutem
necessa-
ria.*

*16. V. 16. Apostolus : Sine Fide, impos-
sibile est placere DEO. Hebr. 11. V. 6.*

Ad credendum salutariter, necessa-
ria est homini gratia DEI ; nam : Ne-
mo potest venire ad me (per fidem) nisi
Pater, qui misit me, traxerit eum, Joan. 6.
*V. 44. Nemo potest dicere Dominus JESUS
(credendo in illum) nisi in Spiritu San-
cto, 1. Cor. 12. V. 3. Non sumus suffici-
entes cogitare aliquid (ad salutem perti-
nens) à nobis, quasi ex nobis, (id est no-
stris viribus) sed sufficientia nostra ex DEO
est. 2. Cor. 3. V. 5. Gratia enim estis Salvati
per fidem : & hoc non ex vobis ; DEI enim
donum est. Eph. 2. V. 8.*

*Ad cre-
dendum
necessa-
ria es-
tia
gratia
Dei.*

Hanc autem gratiam ad credendum
necessariam, Deus nulli negat, juxta *Gratia
nulli ne-
gatur.*

Isaiæ 5. v. 4. Quid est, quod debui ultra
facere vineæ meæ, & non feci ei? Matt. 23.
v. 37. Quoties volui congregare filios tuos
&c. & noluisti?

^{4.} Fides Salvifica unica est; nam: U-
nus Dominus, una fides, unum baptisma,
Eph. 4. v. 5. Si vel in unico Articulo
errat, fides salvifica non est; unde A-
postolus damnavit Philetum & Hyme-
næum, qui dicebant, resurrectionem
jam factam, licet de aliis Articulis be-
ne sentirent. 2. Tim. 2. v. 18. Idem
Apostolus dixit, doctrinam Dæmoni-
orum sequi, qui prohibent nubere, ab-
stinere à cibis, quos Deus creavit. 1.
Tim. 4. v. 3. Joannes Apost. vocavit
Antichristos, qui Christum solvebant,
id est, qui duas in Christo ponebant
personas. 1. Ioan. 4. v. 3. Apostoli,
& Seniores reprobârunt doctrinam eo-
rum, qui dicebant Legalium observan-
tiæ esse Christianis necessariam. Act.
15. v. 5. Sicut ergo omnia Præcepta
Dei tenetur homo servare, ita omnes
revelationes credere; & sicut, qui, li-
cet totam Legem servet, offendat autem
in uno, factus est omnium reus. Jac. 2. v.
10. Ita qui vel unicam revelationem
Dei non crederet, fieret omnium con-
temptor; impiè siquidem sperneret
supremam Dei in loquendo Authori-
tatem,

tatem, qui in nullo falli, vel fallere potest, quidquid demum reyelet; nam:
Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur,
Num. 23. v. 19.

Fides porrò divina est Actus Intellectus, consistens in eo, quod quis assentiatur, & credat DEo loquenti, seu objectum revelanti: sicut fides humana, est credere homini, vel creaturæ loquenti. Unde motivum formale fidei Divinæ, est locutio Divina, dum credimus, ideo rem se sic habere, quia Deus revelavit, quia Deus loquutus est, renasceret esse. Hinc ad hoc, ut aliquid fidei Divina (cui non potest subesse falsum) credatur, requiritur, ut reipsa objectum illud Deus revelaverit, & non sufficit, quod falso sibi persuadeat aliquis, à DEo esse revelatum.

Tenemur autem DEi loquutionibus, & revelationibus, ob Majestatis Divinæ in loquendo autoritatem, quæ nec falli, nec fallere potest, credere in omnibus, sive illæ loquutiones, seu revelationes sint scriptæ, sive non, dummodo nobis constet, revera Deus fuisse loquutum, & revelasse. Sic enim fides divina erat in mundo ante Moysen, cum tamen Verbum DEi ante Moysen non fuerit in scripturam redactum, cum nulla fuerit Sacra Scri-

5.

*Motivum
fidei.*

6.

*Tenemur
credere
omnia à
DEo re-
velata,
etiam non
scripta.*

ptura. Sed & post ascensionem Christi Domini, non statim Evangelium fuit scriptum, & tamen credebatur. Aliunde Verbum DEi traditum commendat Apostolus. 2. Thess. 2. v. 14. 1. Cor. 11. v. 2. 1. Tim. 6. v. 20. de quo plura dicentur inferius, suo loco.

7.
Actus fidei certus.

Actus vero fidei est certus. Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, praeterquam quod avangelizavimus vobis, anathema sit. Gal. 1. v. 8. Habemus firmorem propheticum sermonem, 2. Petr. 1. v. 19. Hoc autem pro certo habet omnis, qui Te colit. Tob. 3. v. 21. Scio enim cui credidi, & certus sum. 2. Tim. 1. v. 12. Certitudo autem illa, provenit ex motivo, propter quod homo assentitur, & credit objectum revelatum à DEo, quod motivum (authoritas nimirum. DEi loquentis) cùm ad assensum moveat plus, sitq; magis certum, quàm omnne motivum naturale, vel etiam evidens evidentia naturali, actus fidei Divinæ est certior, quàm omnis naturalis, ab experientia, vel sensuum iudicio collectus: ut ut enim aliquid experientia naturali videatur esse certū, reipsa tamen potest illi subesse falsum; DEi autem loquutio, qui nec falli, nec fallere potest, non potest esse, nisi vera, nec ei potest subesse falsum.

Unde

Unde credenda sunt etiam illa, quæ intellectus capere non potest, si sint revelata; ait enim Apostolus. *Videmus nunc per speculum in anigate.* 1. Cor. 13. v. 12. *Fides est argumentum non apparentium.* Hebr. 11. v. 1. *Oculus non vidit, oīe nobis autem revelavit Deus.* 1. Cor. 2. v. 9.

8.

Credenda, quæ intellectus capere non potest.

Ut deniq; aliquis actum fidei tam certum, & firmum ob divinam revelationem eliciat, debet esse certus, quod Deus loquitus sit, quod Deus revelaverit rem, quam vult credere; si enim dubitet de revelatione, de loquitione divina, jam non cum certitudine, sed cum formidine crederet. Unde autem sciri possit, quod pro certo Deus rem revelaverit, & insuper, si revelatio sit obscura, quod sensu rem revelaverit, habebis regulam Capite sequenti, quā nisi quis in rebus credendis sequatur, quantumcumq; sibi persuadeat, se vere, & salutariter credere, se fidem Divinam habere, Deum rem hanc, hōc, & non aliō modo revelasse, re ipsa fidem Divinam non habebit, eritq; similis Valachis Transylvanicis, qui firmissime persuasum habent, quod loquantur lingvam Romanā, atq; de hoc gloriantur, cū tamen hanc non loquantur, sed prossus barbaram.

9.
Debet constare de revelatione Divina.

CAPUT II.

*Quæ Regula Fidei prætendatur ab
Acatholicis? quæ servetur.
à Catholicis?*

10.

*Regula
pratensa
Acatholi-
corum so-
la scri-
ptura sa-*

674.

Sicut omnes, qui à primis Seculis ab Ecclesia Catholica defecerunt, & ab ea damnati sunt, uti Nestoriani, Pelagiani, Ariani antiqui, aliisque ita & moderni, sive se vocent Reformatos, sive Evangelicos, sive Unitarios, prætendunt, & jactant, se pro unica, eaq; integra, ac perfecta fidei, seu Regula, seu Norma, ac Judice, qui Controversias sidei decidat, agnoscere solam Sacram scripturam; sive ut specioso Verbi DEi prætextu alios ad se pertraherent; sive ut eâ ratione antiquitatis sensum, Conciliorum Decreta, Ecclesiæ authoritatem, SS. Patrum Traditionem, si fieri posset, pessundarent.

*Nec tota
scriptu-
ra, nec e-
jus pars
potest dici
Regula u-
nica, &
sufficiens.*

At quæro hic obiter, inferius acturus pluribus. An tota Sacra Scriptura sit Regula sufficiens; vel pars una scripturæ præ alia? si tota, ergo nulla datur Regula sufficiens fidei, cum non exter tota Sacra scriptura; multi si sufficiens. quidem ejus Libri periverint, ut tria millia Parabolarum, & quinq; millia

VER.

versuū Salomonis, de quibus est mentio clara 3. Reg. 4. v. 32. Item Libri Nathan & Gad Prophetarum commemo- rati 1. Paralip. 29. v. 29. Item Libri Ahiæ, & visio Prophetæ Addo, de qui- bus 2. Paral. 9. 29. & alii plures. Si verò solūm aliqua pars scripturæ est adæquata Regula fidei, desidero scire, quæ sit illa? cur potius hæc pars, quām alia? cùm una non minùs sit verbum DEi, quām alia? Præterea, ubi id ha- beatur in Sacra scriptura, quòd non tota, sed pars tantūm, & quidem hæc præ alia sit adæquata fidei Regula? vel certè unde id sciant?

Catholici in hoc Puncto sentimus,
imo. Quod Norma, seu Regula fidei, juxta quam maximè in rebus contro- versis fidei sententia ferri debet, juxta quam, quid credendum, vel non cre- dendum sit, statui debet, sit non tan- tūm Sacra scriptura, seu Verbum DEi scriptum, sed etiam Traditio, seu Ver- bum DEi non scriptum.

2do. Quòd fideles ab Ecclesia, quæ est infallibilis, & omni veritate à Spi- ritu Sancto instructa, ut suo loco di- cetur N. 86. quid sit credendum, vel non credendum, quis sit hujus, vel illi- us scripturæ sensus, accipere debe- ant.

Regula
fidei apud
Catholi-
cos.

3^{to}. Quod Ecclesia dupliciter pos-
sit aliquid credendum proponere, rem
Fidei controversam juxta Normam
seu Regulam decidere; vel per Ponti-
ficem suum Pastorem, qui in rebus fi-
dei decidendis errare non potest, ut
suo loco dicetur, Num. 99. vel per
Concilia à Pontifice approbata, quæ
Ecclesiam repræsentant. Qua in re,
quod securè, & prudenter proceda-
mus, patebit à simili.

Si nomine Regis terreni Mandata, &
Decreta spargantur, & de iis dubitetur;
an re ipsa à Rege missa sint: vel si con-
stet à Rege esse Missa; sed cum sint ob-
scura, quæ in diversum sensum accipi
possint; si ex una parte sapientissima,
& dilectissima Regis Sponsa, vel filia,
quam nullum latet Regis secretum, per
quam Rex suum Regnum administrat,
afferat hoc Mandatum, vel Decretum
esse Regium, vel hunc esse Regii Man-
dati sensum, sic verba Regis esse intel-
ligenda: ex alia vero parte, aliquis
ignotus, sub quocunq; colorc, & usur-
pata sibi authoritate, præcisè affe-
rens, sed non probans, se habere notiti-
am secretotum Regiorum, contrari-
um dicat, nonne prudens quisque priori
potius parti adhærebit, & assensum
præstabit?

De cœlestis Regis Decretis, loquunti-
onibus, revelationibus, ac earum sen-
su disceptatur, an revera hoc, illudve
DEus revelaverit, vel quo sensu reve-
laverit? ex una parte stat Sponsa &
Filia Christi Ecclesia Psal. 44. v. 11.
2. Cor. 11. v. 2. Eph. 5. v. 26. Apoc.
19. v. 7. 9.

Quam qui audit, Christum audit.
 Luc. 10. v. 16. *Quam Spiritus Sanctus*
docet omnia. Joan. 14. v. 26. *De cujus*
ore verba DEi non recedent in eternum.
 Isaiae 59. v. 21. Ex alia parte stant
 ignoti, asserentes se esse conscos secre-
 torum Regis Cœlestis, se esse nuncios,
 Apostolos Christi, se perfectam habere
 notitiam revelationum divinarum, id
 tamen præcisè asserunt, & non pro-
 bant, neq; ullus doctrinam suam pro-
 bat, uti Apostoli sequentibus signis, Marc.
 16. v. 20. nec eis signa credentium à
 Christo promissa, Marc. 16. v. 17. con-
 veniunt. Fit disceptatio: quod Ec-
 clesia, Christi sponsa asserit, hi negant;
 quod illa negat, hi asserunt. An non
 æquum est, & omni rationi consonum
 credere, quod Ecclesia credendum pro-
 ponit, cum Ecclesia sentire, ejus defi-
 nitioni acquiescere, quid quid ex alia
 parte ignoti illi in contrarium dicant?
 v. 9. *Dum Ecclesia dicit Verbum DEi*
 non

non scriptum, esse ejusdem authoritatis, ac scriptum. Verba illa Matth. 26. v. 26. *Hoc est Corpus meum significare realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia.* Illa Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unus sumus, consubstantialiter, &c.*

13. *Firma ergo est Catholicæ Ecclesiæ Scriptura sententia, Scripturam sacram, esse quidem primam, ac supremam Regulam Fidei divinæ; non tamen adeò per se sufficientem, quin variis casibus ad Fidei dogmata, sive pernoscenda, sive tuenda, illi adjungenda sit ipsius Ecclesiæ, jam ab initio ad ea tempora, continuata atq; deducta Traditio. Veritas hæc per decursum opusculi probabitur.*

Pro Exordio, omissis aliis, Sancti Vincentii Lirinensis (vixit circa annum 440) sensum, in Libello, cui Titulus: *Commonitorium adversus profanas vocum novitates;* expressum appono. *Quicunq; velit, ait ille, exurgentium haresum fraudes deprehendere, laqueosq; viare, & in fide sana sanus, atq; integer permanere, duplice modō munire Fidem, Dominō adjuvante, deberet; primo scilicet Divinæ Legis autoritate, tum deinde Ecclesia Catholicæ Traditione.* Ita principio operis C. I. ex communi SS. Patrum sen-

sensu, & Doctorum Ecclesiæ Judicio.
Subditq; hunc morem semper viguisse
in Ecclesia DEi, adducens exemplum
Stephani Papæ C. 9. qui Agrippinum
Episcopum Carthaginem, baptiza-
tos ab Hæreticis rebaptizantem erro-
ris arguebat, opponens contrariam
Traditionem, & Epistolâ missâ in Afri-
cam sancivit: *Nihil novandum, nisi quod
traditum est.* Ait autem se istud exem-
plum ab Apostolica sede petere ideo,
ut omnes luce clarius videant, Beatorum A-
postolorum beata successio, quanta vi sem-
per, quantò studio, quanta contentione de-
fenderit, semel susceptæ Religionis integri-
tatem.

Hæ verò Traditiones semper in Ec-
clesia sunt servatæ ad moderna usque
tempora, etiam à Stephani Papæ suc-
cessoribus, *Intelligebant enim (verba
sunt ejusdem Vincentii) Nihil aliud ra-
tionem pietatis admittere, nisi ut omnia,
qua fide à Patribus suscepta forent, eadem
fide filiis consignarentur, nosq; religionem,
non quā vellamus, ducere, sed potius quā
illa duceret, seqñi opportere: idq; esse pro-
prium Christianæ modestia & gravitatis,
non sua posteris tradere, sed à Majoribus ac-
cepta servare.* Cùm verò adverteret ob-
jici posse id, quod moderno etiam tem-
pore obtruditur, objicit sibi Cap. 2.

14.
Tradi-
tio-
nes sem-
per in Ec-
clesia ser-
vata.

Cum perfectus sit Scripturarum Canon, sibi
que ad omenia satis, super ergo sufficiat, quid
opus est, ut ei Ecclesiasticae intelligentiae jun-
gatur authoritas? Ad id responderet,
gratiâ opus esse. Quia videlicet Sacram
Scripturam, pro ipsa sua altitudine, non uno,
sed emque sensu universi accipiunt; sed ejus-
dem eloquia aliter, atque aliter, alias, atque aliis
interpretantur. Aliter namque illam No-
vianus, aliter Photinus, atque Sabellius
(aliter Lutherus, Calvinus, Socinus)
exponant. Atque idcirco multum necesse est,
propter tantos, tam varii erroris anfractus,
ut Propheticae, & Apostolicae interpretationis
linea, secundum Ecclesiastici, & Catholici
sensus Normam dirigatur. Hæc ille. Jam
adyversus errorem pressius proceden-
dum.

CAPUT III.

*Qui Libri Scripturæ sint Sacri,
non potest sciri præcisè ex Scriptura
ipsa, sed ex sola Ecclesiæ Traditione
habetur.*

15. *Ut credas.* **A**ntequam quemcunq; Fidei arti-
culum, tanquam à DЕo in Scri-
ptura revelatum credamus, certò no-
bis constare debet, quod liber ille, ex
quo Articuli veritas probatur, sit Sa-
cra

tra Scriptura, quòd sit Liber Canoni- *constare,*
 cus, quòd sit Verbum DEi; aliàs enim, *quòd Li-*
cur potius ea credimus, quæ tradun- *ber ille,*
tur in Evangelii SS. Matthæi, Marci, *ex quo e-*
Lucæ, Joannis, & non ea, quæ tradun- *rutus est*
tur in iis, quæ præferunt nomen S. Tho- *articulus,*
mæ, vel Barnabæ, vel Andreæ &c. nisi *fit sacra*
quòd persuasi sumus priora Evangelia *scriptura,*
esse re ipsa Canonica, esse verbum DEi;
posteriora verò esse Apocrypha & sup-
posititia; hoc autem nobis certò con-
stare non potest præcisè ex ipsa scri-
ptura, sed ex sola Ecclesiæ traditione
in hoc rerum statu, ergo ad minus quo-
ad hoc falsus est Acatolicorum Arti-
culus, qui asserit Scripturam sacram
esse Regulam unicam omnis veritatis.

Quòd id nobis ex scriptura consta-
 re non possit, ostenditur; Ubi enim
 expressè habetur, quòd Libri illi o-
 mnes, quos pro Canonicis & Sacris ha-
 bemus, sint re ipsa Scriptura sacra, sint
 verbum DEi re ipsa, cùm de plerisq;
 nulla scriptura, reflexè loquatur? nec
 verò sufficere possit, quòd Libri illi de
 quorum autoritate quæritur, sese te-
 stentur Divinos; aliàs enim omnes,
 qui pro Divinis venditantur pro tali-
 bus essent agnoscendi, cùm è diverso
 ex Ezechielis 13. v. 7. manifestum sit,
non defuisse Prophetas falsos, qui di-

16.

Hoc con-
stare ex
scriptu-
ra non
poteſt.

cerent: *Ait Dominus, cùm ego non sim loquutus.* Præterquam, quod hoc modo etiam Alchoranus Mahometis, qui se dicit de Cœlo missum, probaret se esse Verbum DEI.

17. *Licet & nus Liber reflexè lo- gatur de alio.* Et quamvis subinde aliquis Liber Canonicus, alium reflexè commendet, uti Epistolæ Sancti Pauli commendat S. Petrus, quod ratum est; tamen redit quæstio, an Epistola illa commendans, quæ habetur pro Epistola Sancti Petri, sit re ipsa S. Petri, & non ejus nomine, ficta, & supposititia, an sit Canonica, an Verbum DEi? Vel si re ipsa sit Epistola Sancti Petri, dubitari potest, an Epistolæ, quæ habentur pro Epistolis S. Pauli, sint re ipsa S. Pauli à Sancto Petro commendatæ, & non aliæ fictæ, & suppositæ, vel per Typographos multum depravatae?

18. *Constat ex Tra- ditione.* Constat igitur solum potest ex Traditione Ecclesiæ, agnoscentis, & defientis, hos; & nō illos esse Libros Canonicos, esse Verbum DEi. Agnovit id vir DEi Spiritu, & Cœlesti doctrina plenus S. Augustinus, qui Lib. contra Epistolam fundamenti C. 5. ait: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia commoveret authoritas.* Id est, Evangelium non agnoscerem pro Verbo DEi, nisi Ecclesiæ authoritas, & Traditio id avaderet. — Sier-

Si ergo, ut ostensum est, sciri non potest, & credi, nisi ex Ecclesiæ authoritate, & Traditione, quod hoc volumen, hic liber, qui dicitur Sacra scriptura, sit re ipsa Sacra scriptura, sit verbum DEi; similiter non nisi ex Ecclesiæ Traditione, & authoritate sciri potest, & credi.

1mo. An hæ, vel illæ voces abrasæ, vel adjectæ, de quibus controvertitur, spectent ad Verbum DEi?

2do. Si authoritas Ecclesiæ, vel Traditionis afferens, hoc volumen esse Verbum DEi admittatur tanquam infallibilis, etiam aliæ Traditiones Ecclesiæ admitti debent ut infallibles.

3to. Si ob Ecclesiæ Traditionem credi potest, & debet, hoc volumen esse Verbum DEi, ex eadem ratione credi potest, & debet, hos; & non illos Articulos, esse articulos fidei.

4to. Si ob Ecclesiæ authoritatem credi potest, hoc Verbum scriptum esse Verbum DEi, ex eadem ratione credi potest etiam Verbum non scriptum esse Verbum DEi.

Aliqui sorianiabant, satis colligi posse ex titulo authoris, quod hic, vel illæ Liber sit Verbum DEi: quod si verum esset, Evangelia nomine SS. Thomæ, Barnabæ scripta, essent Verbum

19.
Corolla.
vix.

20.
In epist.
modi ju-
dicandi
de Verbo
DEi.

DEi, essent Libri sacri, quia præferunt nomina Apostolorum.

Alii ex argumento scriptionis, stylo, antiquitate, idiotismis, efficacia in animis legentium: sed similia esse possunt in Libro non Sacro, non Canonico, & re ipsa sunt in tertio, & quarto Esdræ, in oratione Manassis, &c.

Alii ex idiomate, quo scriptus est Liber; sed etsi Prophetæ scripserint ferè Hebraicè, non tamen omnes: Job scripsit Arabicè, Daniel Chaldaicè. Præterea, si quis Prophetarum, scripsisset Librum de quocunque argumento, nec DEo inspirante, Hebraicè, num ideo esset facer? si vicissim scripsisset aliquem argumenti Sacri, DEo inspirante, Hungaricè, quid obstaret, cur non esset facer?

Alii ex citationibus, quæ sunt in Novo Testamento; sed Apostolus citat Poëmata Poëtarum gentilium; quis tamen dicet, hæc esse Verbum DEi? Vicissim, Liber Josuæ, & Ruth, nullib[us] in Novo Testamento citantur, & tamen sunt Libri sacri, & Verbum DEi.

Alii denique dicunt, id colligi ex dictamine, quod cuique tribuit suus spiritus internus, persuasio interna Spiritus Sancti, de quo spiritu privato, sit.

CAPUT IV.

In quæstione proposita ineptè recurritur ad spiritum privatum.

Aliqui difficultatem argumenti sentientes, cùm nec ex ipsa Scriptura sacra probari posse perspicerent, quinam Libri sint Verbum DEi; neque hac de causa ad Ecclesiæ authoritatem recurrere vellent, quòd hoc modo doctrinæ suæ molem corruituram adverterent manifestè, dixerunt, de ipsa Canonorum Librorum veritate, nec ex ipsis Libris Sacræ scripturæ, nec ex Ecclesiæ authoritate constare, sed id per privatam Spiritus Sancti testificationem, & persuasionem interiorem, unicuique credentium compertum esse.

Contra est. Testificatio illa interna, non est Sacra scriptura, ergo ex Scriptura non potest constare, quòd ipsa sit Verbum DEi. Secundò: Est veritas ad salutem necessaria, quòd hi, vel illi Libri sint Verbum DEi, eaque veritas non continetur, nec exprimitur in Scriptura, ergo universè falsum est, quòd Verbum DEi contentum in Scripturis sacris, sit regula omnis veritatis. Sed directè contra hanc Spiritus privati testificationem procedendum.

22. **imo.** Providentiæ DEi ordinatissimæ Ecclesiam suam gubernanti conveniens non est, ut prima & generalis credendorum Regula, qualis est sacra Scriptura, eaque totam comunitatem obligans, per se, directè non promulgetur ipsi comunitati credentium, sed occulta inspiratione insinuetur singillatim credentibus, ex quo quasi per accidens innescat universis; contrarium siquidem dictat communis sensus, & ratio, secundum quam etiam Legislatores constituerunt in Lege comuni: *Leges saceratissima, quæ constrinxunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Lib. 9. Cod. de Legibus. Idque ex communi corum sensu, & usu, per comunem, & publicam promulgationem, cum sint publicæ, & communis vivendi regula. Sic non singillatim coribus fidelium impressus est à DEo Decalogus, sed publicè per Moysem in monte Sinai promulgatus. Exod. 19. & 20. Sic & Lex nova à Sancto Petro in die Pentecostes, promulgata est populo, & deinde per Apostolos, eorumque successores inter credentes divulgata, non autem singulorum animis per se à DEo insinuata. Act. 2.

2do. Verbi DEi, adeoque Divinæ veritatis custodia, non singulis hominibus

nibus à Christo , sed Ecclesiæ ejusq; re
Rectoribus commissa est, quæ ideo dici-
tur *Columna*, & *firmamentum veritatis*,
1. Tim. 3. v. 15. ergo ab Ecclesia, & non
à singulis (qui in cuti quam sunt Colu-
mna , firmamentum veritatis) accipi-
endum est, quodnam sit Verbum Dñi,
sive qui Libri sint sacra Scriptura.

Verbis illis : *Columna & firmamen-* 25.
tum veritatis, ipso Calvinio interprete, *Etiā Calv-*
Lib. 4. Inst. C. I. §. 10. significat Paulus : *vino* 30.
Ne intercidat veritas DEi in mundo , Ec-*ste.*
clesiam esse fidam ejus custodem , quia ejus
ministerio, & operâ voluit Deus puram Ver-
bi sui prædicationem conservari. Ex qui-
bus verbis , etiam illud colligitur ; ne
intercideret veritas DEi in Mundo .
opportuisse, ut usque ad Calvini & Lu-
theri tempora superfuerit in mundo
aliqua vera Ecclesia , in qua pura Ver-
bi DEi prædicatio , & consequenter pu-
rum, ac verum Dñi verbum , sive ipsa
Divinæ scripturæ veritas conservare-
tur , & tradiceretur ad posteros : quæ
quidem alia esse non potuit, quām Ec-
clesia Romano-Catholica, præter quā
nulla alia fuit (ut ipsi agnoscunt) vera
DEi Ecclesia saltem visibilis. Niū quis
ridiculè dixerit : sacram Scripturam
conservatam fuisse ab aliqua Ecclesia.

invisibili, & quod ab hac eam acceperit Lutherus, vel Calvinus.

26.

*Inutile**effugium.*

Dices: devenit quidem à Romana Ecclesia ad Reformatos Canonicorum Librorum notitia; sed cum inter verè Canonicos admissi fuerint non Canonicī, oportuit discernere Canonicos à non Canonicis, quod jam non potuit haberi ex sensu, & authoritate Ecclesiae, sed solùm per Testimonium, & persuasionem internam Spiritus Sancti.

R. Ergò jam contra id, quod asserit Calvinus, intercidisset veritas DEi in mundo; neque enim in Ecclesia Catholica, apud quam fuerunt conservatae sacræ Scripturæ, inventa fuisset pura prædicatio Verbi DEi; ibi enim non est pura prædicatio Verbi DEi; ubi pro legitimo Verbo DEi aliquod adulterinum usurpatur: quod fieri necesse fuisset, si Ecclesia Libros Canonicos à non Canonicis discernere non potuisset.

27.

Qui sibi spiritum privatum vendicat, aliter accipiunt scripturam.

3tio. Domini ab Ecclesia Romano-Catholica alieni, non conveniunt inter se, quinam Libri sint Canonicī, alios accipit Lutherus, alios Calvinus, alios Socinus &c. imò etiam ejusdem Authoris, & Scholæ discipuli; isti hos, illi illos accipiunt; qui tamen omnes sibi

sibi privatum illum spiritum æquali
jure vendicant, nec una pars alteri con-
traria, evincit, quod sibi potius spiri-
tus ille competit, quam alteri, quod
suum sit verus, & non partis contradic-
centis: ergo cum partium contradic-
centium spiritus utrinq; verus esse non
possit, alias sibi ipsi futurus Contrarius,
spiritus ille privatus non est idoneus
ad decernendum, quinam libri Scrip-
turæ sint Verbum DEi.

Dices, Scriptura dicit: *Unde eis
doceat vos de omnibus. I. Joan. 2. v. 27. Ipse
enim spiritus testimonium reddit, &c. Rom.
8. v. 16.* Ergo spiritus privatus sufficit
ad discernendum.

R. Hæc & similia declarabuntur in-
frà uberiū. Cæterùm has scripturas
non magis sibi possunt applicare Lu-
therani, quam Calvinistæ, vel Unitarii,
disceptantes inter se in hoc Puncto.
Ergo ad rem non faciunt. Præter-
quam quod involvatur circulus vitio-
sus, seu petitio principii, dum hoc mo-
do respondentes, ex sacra Scriptura
probant spiritum privatum, & ex spi-
ritu privato scripturam, non ali-
unde, quam ex spiritu privato
Sacram probatam.

CA-

CAPUT V.

*Magis ostenditur Scripturam sa-
cram per se praece sumptam, ad fidei Do-
ctrinam sancienda non esse sufficien-
tem usquequaque.*

28.

*Sacra Scri-
ptura: ob-
scura, sui
interpre-
tatione
non est.*

Scriptura. Sacra secundum se sumpta, etiam facta inter se collatione locorum, adhuc in multis locis, etiam in quibus de primariis Fidei Mysteriis agitur, non ita clara est, ut sensus varios admittere non possit, praesertim apud ingenia morosa; ergo per se non est sufficiens ad exortas de ejus sensu controversias dirimendas. S. Petrus Ep. 2. c. 3. ib. dicit de Epistolis Pauli, in illis contineri quædam difficilia intellegentia, quæ indocti & instabiles depravant. David. Psal. 118. DEum rogat: Revele oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, & scrutabor Legem tuam. Eniuchio legenti scripturam dicit Philippus: putasne intelligis, quæ legis? Act. 8. v. 30. Christus Dominus Discipulis aperiebat sensum scripturæ, ut intelligerent. Luc. 24. v. 27. & 46. Certè verba, quæ Christus loquitus est, non semper intellexerunt, vel ipsi Apostoli, ut dicitur Luc. 2. v. 50. Item 18. v. 34. quanto diffi-

difficilius intelligetur Verbum DEI scriptum, præsertim promiscuè ab omnibus? Id ipsum sentiunt viri Doctrinâ, & sanctitate conspicui, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alii, nō dico universim quoad omnes textus, sed quoad plurimos. Augustinus ait Ep. 111. Obscura est scriptura, & remota à sensibus hominum. Et Ep. 119. modestissimè satetur, in Sanctis scripturis, se plura nescire, quam scire. S. Hieronymus verò in Sanctis scripturis versatissimus in Cap. 7. Eccl. ait: *Vir, qui eruditus fuerit in scriptura, quanto plura scire cœperit, tanto ei in his quotidie oritar major obscuritas.* Dum horum sanctorum virorum, & à DEO illuminatorum modestiam considero; ex alia verò parte eorum jactantiam temerariam perpendo, qui dicunt Scripturam sacram esse per se facillimam, apertam sui interpretem, clariorem omnium Patrum Comentariis, difficultatis in ea nihil esse, nihil posse afferri, quod ipsi facile non interpretentur, meritò illis applicandum judico, quod dictum est ad superbissimum Regem Tyri: *Ecce sapiensior es tu Daniele: omnne secretum non est absconditum a te?* Ezech. 28. v. 3.

Nec aptè ad hæc dicitur, quod ea quæ in scriptura obscura sunt, & viris, 29.
Etiam in saltum

*Mysteri-
is Fidei
obscura
est scri-
ptura.*

saltem doctis minùs pervia, sint tan-
tum res minutiores, non pertinentes
ad præcipua Fidei Mysteria, aut dogma-
ta: nam in Epistolis Pauli præcipua
Fidei dogmata traduntur, ut in Epist.
ad Romanos de Prædestinatione, ju-
stificatione, Fide, operibus, & tamen
hæc sunt obscuritate plena. Item A-
rianis, & modernis Unitariis obscuræ
vix sunt illæ Scripturæ, quæ Mysterii
SS. Trinitatis veritatē adstruunt: Ne-
storianis, quæ Divinæ Incarnationis
substantiam: Judæis, quæ in Veteri Te-
stamento veri Messiae adventum osten-
dunt. Denique si scriptura clara est,
& facilis intellectu, cur Domini Aca-
tholici, ubi controversia est de aliquo
sensu scripturæ, synodo congregatâ de
hoc decernunt?

30.
*Scriptu-
ra etiam
collatio-
ne locorū
inter se
facta, ob-
scura est.*

Dices, scriptura per se clara est, in
quantum sui interpres est; si enim est
quispiam locus obscurus, per alium lo-
cum collatione facta evadit clarus.
R. Si id verū est, cur Calvinistæ, Luthe-
rani, Ariani, & inter Calvinistas Re-
monstrantes, & contra-Remonstrantes
&c. inter se de scripturæ sensu disce-
ptant, & non conveniunt? secundò da-
to plures invenire locos scripturæ per-
tinentes ad idem dogma (quod non
semper est) quoruī collatio potest in-
insti-

institui ad veritatem investigandam ; tamen quia non est per se evidens, uter ex altero tanquam clarius sit explicandus ; cum qui unius clarius appareat, alterius videatur obscurior, & qui prius erat clarissimus, collatione facta, subinde reddatur obscurus ; hinc etiam universaliter verum non est, quod quoad controversias ex scriptura dirimendas, sufficiat ista variorum locorum collatio.

Sic verba Christi Domini : *Hoc est Corpus meum*, Matth. 26. v. 26. quae Catholicis & Lutheranis sunt clarissima, Zwinglianis, Atianis novis, Calvinistis, ex collatione cum aliis locis scripturæ apparent obscurissima, qui putant, verba illa, *spiritus est, qui vivificat : Caro non prodest quidquam. Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Joan. 6. v. 64. (quæ plures sensus patiuntur, priori veritati non repugnantes) clariora esse ad veram & realem Corporis Christi in Sacramento praesentiam negandam, ergo nec collatione locorum facta, scriptura se sola sumpta est sufficiens ad dirimendas Fidei controversias, neque satis ad hoc negotium clara.

Forsitan & hic, aliquis recurret ad ^{3r.} *inspirationes, ad spiritum privatum, Spiritus & di-*

priuatas & dicet, quod per hunc evadat scriptura
 non explicat. nec clara, quisnam locus debeat explicari
 claras facit scri- præterquam quod applicari possint ea,
 priuam. quæ dicta sunt, N. 21. & seqq. Contra
 est etiam illud, quod si ad spiritum hunc
 privatum recurratur, jam non scriptura se explicabit; sed illam explicabit
 spiritus privatus. Et spiritus hic pri-
 vatus à Calvinistis, Lutheranis, Unitariis &c. æquali jure prætensus, & di-
 versis diversa, ac contraria spirans,
 quomodo illis concedi possit: prudens
 judicet; quomodo inquam illis Con-
 cedi possit tanquam verus, & Divinus,
 cum spiritum hunc nullus eorum pro-
 baret ullis signis, & virtutibus, veluti ta-
 citè loquentis DEI voce publica, prout
 Apostolis suis Christus Dominus pro-
 misit. Marc. 16. v. 17. & 20.

CAPUT VI.

Inceptum, & absurdum est in sacra
 Doctrina Controversiis, non ad publicum
 Ecclesiæ sensum; sed ad privatum cuius-
 que fidelis persuasio nem recurrere.

32.
 Ecclesia firmamen-
 tum veri-
 tatis.

Ecclæsia non solùm hoc sensu jux-
 ta Apostolum, i. Tim. 3. v. 15.
 dicitur & est columnæ & Firmamentum
 veritatis, quod sit fidelis custos sacro-
 rum

rum librorum, sed etiam, quod sit legitima, & publica Verbi DEi interpres, veritatum, quas nobis DEus revelavit; alias enim quomodo erit firmamentum veritatis, si circa veritates à DEo revelatas falli aut fallere potest? Sicut in sententia Adversariorum, spiritus privatus non esset columna veritatis, si scripturas quidem veras à falsis discernere posset, non autem scripturæ sensum verum à falso dignoscere.

Certè cùm Scripturâ sacrâ bene vel malè quis uti possit, (omnis hæresis pro se allegat scripturas) Christus Dominus non satis providisset Ecclesiæ, si illi solùm comisisset custodiam librorum Verbi Divini, seu sacræ Scripturæ, & non simul tradidisset spiritum veritatis, quô (veluti clavi) sacræ Scripturæ sensum aperiret: sicuti Paterfamilias non satis provideret familiae suæ, si peregrè proficiscens, thesaurū cistæ inclusum uxori relinqueret, non tradita clavi, quâ ex eo, quæ opus essent pro familia excipere possit. Huc facit locus Irenæi, lib. 3. c. 4. *Veritatem facile est ab Ecclesia sumere; cùm Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè ei contulerint omnia, qua sunt veritatis.*

33.
Ecclesia
debet sei-
re sen-
suum scri-
ptura.

34.

*Convenit
potius Ec-
clesiae, quā
spiritui
privato
credere.*

Ex Scriptura sacra cùm constet, Ecclesiæ esse promissum Spiritum Sanctum, qui eam doceat omnem veritatem, prudens quisque concludet, quid magis rationabile sit, an certior sit authoritas privati hominis, qui spiritum privatum se habere prætendit de dijudicandis Fidei controversiis, vel scripturæ sensu; an verò authoritas Concilii legitimi ex fidelium cœtu coacti, & ex communi sensu de re controversa judicium ferentis? Si enim singulis congregatorum assistit spiritus DEi, iisq; inspirat, quid de hoc, vel illo Fidei articulo sit sentiendum, in quo sensu hic vel ille scripturæ Textus sit accipiendus; iisdem jam congregatis in nomine Christi circa illos fidei articulos, & Scripturæ sacræ sensum, cur non æquè, aut certè magis assistet? Ex eo certè quòd plures congregentur in nomine Christi, spiritu illō assistente non privantur, cùm Christus Dominus promittat se adstiturum specialiter pluribus in nomine suo congregatis. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 18. ¶.20. Ergò magis aderit, ubi plures fuerint in nomine ejus congregati.

35.

*Qualiter
Apostoli*

Apostoli dederunt perspicuum exemplum, qualiter decidendum sit de rebus

bus fidei controversis. Erat orta An- *definive-*
tiochiæ controværia de Legalium ob- *rint Con-*
servatione, hanc Apostoli, licet Spiritu *troveria.*
Sancto prædicti; non tamen ex privato
sensu deciderunt, sed Conventu Jerofo-
lymis facto, cum senioribus, & multa
conquisitione rem definiverunt, id
*quod contestati sunt dicendo: *Visum**
est Spiritui Sancto, & nobis. Actor. 15.
v. 28. Quod scilicet legitimi Concilii
formam, necessitatem, & utilitatem de-
monstrarent.

Ad hunc modum, Arianâ hæresi or-
tâ, cùm de verborum illorum sensu:
Ego & Pater unum sumus, Joan. 10. v. 30.
Quæstio mota esset, authoritate legiti-
tima coactum est Concilium Nicæ-
num primum, & in eo condemnatus
Arius. Sic contra Nestorium coactum
est Concilium Ephesinum, & de Verbi
diyini Incarnatione veritates explica-
tæ. Taliter (omissis aliis) contra Be-
rengarium qui realem Christi præsen-
tiā in Eucharistia negabat, variis Sy-
nodis coactis, ipse saepius damnatus
est, & verborum Christi legitimus sen-
sus comprobatus. Sed nonne & ipsi
Acatholici, non servatâ doctrinæ suæ
consequentiâ, synodos cogunt, ad
controversias Fidei inter se ortas defi-
niendas? Certè præter Calvinianos, &

Lutheranos has fieri volunt etiam Unitarii; præscribunt enim in sua Agenda cap. 7. Ut si controversia circa sensum scripturæ oriatur, ad synodum universalem recurratur.

^{36.}
Ecclesia, Et certè fatuum est recurrere circa non privata controversies Fidei, vel sensum Scripturarum, ad privatum spiritum, nemamen- glestâ Ecclesiâ, vel ex hoc Capite, quod sum ve- ex Scriptura constet, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. I.

Tim. 3. v. 15. quod non esset legitima Verbi DEI interpres; privatis autem non promittitur, quod sint columna & firmamentum veritatis. Plura de hoc inferius.

CAPUT VII.

Aliæ rationes contra spiritum privatum.

^{37.}
Spiritus priuatus errorum clamen. Contra Spiritum hunc privatum, pluribus agendum argumentis, ad hunc enim refugium habent omnes errorum Magistri, dum errores suos defendunt, & velant.

Catholici pro indubitate habentes, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. I. Tim. 3. v. 15. hanc in rebus fidei, & Scripturarum sensu esse Magistrum à Spiritu Sancto edoctam, & au-

& audiendam. Joan. 14. v. 26. Luc. 10. v. 16. Quid illa in suis Conciliis definiuerit, quid antiqui SS. Patres in Cœtibus suis congregati, & ab Ecclesia approbati, sentiant, & qualiter ad nos ab Apostolorum temporibus credendorum, & sacrarum scripturarum sensus pervenerit, unicè attendunt.

A Romana fide verò alieni, scientes sua Dogmata Ecclesiæ Romanæ contraria jam ante secula in diversis Conciliis Universalis Ecclesiæ damnata esse. Ecclesiæ definitionem rejiciunt, dicuntq; Ecclesiæ, & Conciliorum definitionem non sufficere, sed hanc examinari posse, ac debere. Si quæras, quali examine? Primò respondent: an sint Conformia sacræ Scripturæ. Si urges, quænam sit Regula, unde apparet esse conformia, vel disformia sacræ Scripturæ? Respondent; Ipsā esse Scripturam. Dum instas iterū, ex Scriptura, nec posse constare, quod libri, quos pro sacra Scriptura habentur, sint re ipsa sacra Scriptura: nec posse sciri præcisè ex Scriptura, quis locus Scripturæ tanquam obscurus, per alium tanquam clarū, sit explicandus, quis censendus sit clarus, quis obscurus: ne ad Concilii, Patrum, Ecclesiæ definitionē factum enim esset de omni eorum Do-

étrina) recurrent , ajunte : Privatum
quemque fidelem à Spiritu Sancto edo-
ceri, cuilibet Spiritum Sanctum assiste-
re, ut videat, sciat, & judicet , qualiter
Scriptura, & quō sensu sit intelligenda:
à quolibet privato posse judicari , an
Sancti Patres, an Concilia, an Ecclesia
in suis Conclusionibus, & definitioni-
bus conformiter ad sacram Scripturam
senserint, & definiverint, Spiritumque
Sanctum , quem negant Ecclesiae uni-
versali, attribuunt privatis , in dijudi-
candis & per noscendis Fidei mysteriis,

38.

Oves Christi possent non audire vocem ejus.

Quanta hinc oriri deberet confusio
ordinis à Christo in Ecclesia constitu-
ti ! Primò enim sequeretur, quod Oves
Christi vocem Pastoris à Christo con-
stituti, contemnere , & de ea judicare
possint, consequenter ipsam vocem
Christi , cum vox Pastorum sit vox
Christi , juxta Luc. 10. v. 16. *Qui vos
audit, me audit: & qui vos spernit, me
spernit.* Item sequeretur, quod non per
hoc dignoscantur Oves Christi legitimi-
mæ, quod Pastorū ab ipso constitutorū
vocem audiant. Contra Joan. 10. v. 3.

Secundò , si priyati fideles habent
spiritum discernendi sensum Scriptu-
rarum, vel judicandi de articulis Fidei,
debet concedi Spiritus hic etiam illis,
& qui-

& quidem potiori jure, quibus à Christo commissa est docendi potestas, cùm & hi fideles sint, & Oves Christi: Quod si hi spiritum hunc habeant, absurdum est, ut Pastores audiant vocem gregis, ut Doctores subscríbant sententiæ Auditorum, cùm clarum sit à Magistris debere doceri discipulos, à Pastore regi gregem, non è contra. Quod si Pastores hunc spiritum habent, habebit & Ecclesia ex Pastoribus collecta, quæ est *columna & firmamentum veritatis.*

I. Tim. 3. v. 15.

Tertiò, Spiritus ille priyatus, vel competit omnibus, vel non? si omnibus, cur non omnes Acatholici eodem spiritu ducti, qui sibi contrarius non est, non idem sentiunt, non idem docent, sed Concilia cogunt, ad Magistratus seculares se provocant? si verò non omnes privati habent eundem spiritum DEi, ad sensum Scripturarum discernendum, & articulos fidei, quanta hic oritur perplexitas, & confusio; siquidem semper dubitari prudenter potest, & debet, quinam sint illo spiritu prædicti? penes quosnam inveniatur Scripturæ vera interpretatio, & articulorum fidei discretio? nisi fors currere placebit iterum ad alium spiritum, qui doceat, penes quos fidelium

39.
Si competit spiritus veritatis di-
scipulis,
magis cō-
petet Ma-
gistris.

40.
Nec omnes dies possunt habere hunc spiritum, neq; unus pre alio.

sit spiritus interpretandi sensum Scripturarum; sed cum de hoc eadem redibit quæstio, & hunc sibi quilibet æquali jure vendicabit, manebit eadem difficultas, & perplexitas.

41.

*Spiritus
privatus
prædesti-
natorum.*

Quarto; dicet quis forsitan, spiritum illum privatum, tantum esse penes electos, & prædestinatos, qui mansuri sunt constantes in fide, nec ab ea unquam deficient. R. dato: ergo hoc ipso spiritus ille non est sufficiens ad discernendum sensum Scripturarum, & articulos fidei, cum id nos lateat, quisnam sit electus, & prædestinatus, quisnam constans ad finem in fide mansurus; siquidem, *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* Eccl.9. v.1. Cum Apostolus Christi, & discipuli à fide defecerint. Nemo igitur proprio, vel alterius particularis privato spiritui adhærere poterit, & id tanquam dogma fidei tenere, quod ille definiverit; ergo alia norma & Regula interpretandi Scripturas, discernendi Articulos fidei quæri debet.

Confirmo id exemplo vestro. In Hollandia inter Gomaristas & Arminianos dum gravis orta fuisset Controversia super divina Prædestinatione, & aliis decretis ad eam Sopiendam indicta fuit Dordraci Synodus, in qua

con-

congregati ex Anglia, Gallia, Germania &c. Summi Reformatorum Pastores, & Magistri, Arminium cum suis damnarunt, & anathemate confoderunt. Quæro, cur? Nonne Arminius unus è Reformatis erat, Ecclesiæ Romanæ inimicissimus? nonne is interiore Spiritus Sancti persvensione perinde ac alii se præditum existimabat? Respondebitis: illum fuisse miserè delusum, & quidquid credere videretur, neq; fidem veram, neq; legitimum Spiritus Sancti Testimonium, aut persvationem interiore de dogmatis controversis habuisse. Sed cur obsecro? Respondebitis: quia doctrina ejus legitimo sensu verborum Scripturæ manifestè repugnans inventa est. Audio: verū, credebam juxta professionem vestram, quis legitimus sit sensus Scripturæ in re controversa, à vobis discerni ex interiore Spiritus Sancti persvensione; & jam video vos vice versa, ex legitimo Scripturæ sensu colligere, & discernere quisnam sit legitimus interior spiritus, aut quisnam legitimo interiore spiritu prædictus sit.

Quod reiqa est dicere, ac probare, habere vos, aut quemlibet vestrum, verum, ac genuinum interiore spiritum, ex eo, quod iste spiritus sit conformis

42.
Circulus
vitiosus
spiritum
privatum
sibi attrita
buentum

vero, ac genuino sensui Scripturæ; & rursum hunc esse verū ac genuinū Scripturæ sensū, ex eo, quòd sit conformis vero interno spiritui sic svidenti, & dicitanti. In quo manifesta est petitio principii, perinde, ac si præcisè probares, Joānem esse revera Filiū Petri, quia Petrus revera est Pater Joānis; & rursū Petrum esse Patrem Joānis, ex eo, quòd Joānes sit Filius Petri, quod non est ratiocinari, sed nugari, & inepto Circulo, id ipsum, quod probandum erat, ad sui probationem assumere.

^{43.} *Catholiceas objici solitus Cirkulus sol-* Dices, etiam vos Romani talem Circulum committitis; probatis enim etiam Ecclesiæ Authoritatem, quia id Scriptura Sacra dicit, quæ illam vocatur Columnam & Firmamentum veritatis, I. Tim. 3. v. 15. Et rursum probatis, hos libros esse sacram Scripturam, quia Ecclesia infallibilis dicit esse sacram Scripturam, sive ex Ecclesiæ authoritate: perinde, ac si quis crederet Paulum non esse mendacem, quia id Petrus de eo dicit, & vicissim, Petrum non esse mendacem, quia id Paulus de eo dicit. R. Si quis crederet Petrum, & Paulum non esse mendacem, præcisè ob assertione illam mutuam, quâ unus de alio diceret, quòd mendaçes non sint, esset omnino circulus vitiosus; si verò mihi
veri-

veracitas alterutrius aliunde etiā constet, possum Petro (cujus veracitas mihi aliunde etiam, quām ex assertione Pauli nota est) prudenter credere dicenti, Paulum non esse mendacem. Similiter, si ex authoritate Ecclesiæ nobis præcisè per Scripturam notā probaremus, hanc esse divinam Scripturam, & vicissim autoritatem Ecclesiæ præcisè ex Scriptura, non aliunde, quā ex authoritate Ecclesiæ notā probaremus, circulū vitiosum committeremus; nos autem sic non procedimus.

Quis igitur noster procedendi modus? si quis de authoritate Ecclesiæ bene sentiens, dubitet, an liber aliquis, v. g. Apocalypsis, sit Canonicus, vel si quis dubitet de alicujus sensu Scripturæ, ad eum convincendū recurrimus ad autoritatem Ecclesiæ, ostendimúsq; librum illum ab Ecclesia haberi pro Canonicō, vel Scripturam illam ab Ecclesia in alio sensu accipi, quām ille intelligat, & Controversiam finimus. Quodsi quis è contra librorum Canonorum authoritatem perspectam habens, agnoscere non velit Ecclesiæ in rebus Fidei definiendis autoritatem, adversùs hunc utimur, tum ipsâ Scripturâ, de qua ille bene sentit, hanc habendam esse præ columna veritatis, su-

pra Petram à Christo Domino immo-
biliter fundata, 1. Tim. 3. v. 15. Matt.
16. v. 18. Tum etiam ex alio Capite
quam ex sacra Scriptura ostendimus
authoritatem Ecclesiae; scilicet ex e-
jus notis & signis. v. g. Ex tot miracu-
lis in Ecclesia factis ad ejus confirma-
tionem. Ex Doctrina ejus, quæ nihil
inhonestum, imò omnia continet ho-
nestissima. Ex successione Pontificum
à S. Petro usque ad tempora nostra. Ex
tot millibus consilia Evangelica sequen-
tiū, atq; ob amorem Christi omnia sibi
chara, divitias, honores, voluptates ac
delicias, etiā iure naturæ licitas relin-
quentium. Ex consensu doctrinæ,
quam Ecclesia tempore Apostolorum
habuit cum moderna. Ex inexplica-
bili fortitudine plurimorum Martyrum
pro Ecclesia sanguinem fundentium.
Ex propagatione Fidei inter Gentiles,
ad quam, & non ad aliam Regiones &
Provinciæ ex gentilismo conversæ
funt. Ex tot sanctis miraculorum co-
piâ claris, qui in ea vixerunt. Ex eò,
quod doctrina ejus, sanguini & carni
contraria toto orbe terrarum dissemina-
ta sit, acceptatâq; & aliis plurimis bre-
vitatis gratiâ hic omissis, quæ pruden-
tiam ita debent movere ad assentien-
dum, hanc, & non aliam esse in orbe
Eccle-

Ecclesiam veram, & salvificam, ut cum
Richardo à S. Victore dicere possit lib.
I. de Trinitate: *Domine, si error est, quod
credimus, a te decepti sumus.* Vos vero
boni viri legitimum esse hunc, vel il-
lum Scripturæ sensum, probatis per il-
lam ignotam, & controversam præcisè
illustrationem, seu spiritum privatum;
& illustrationem vicissim esse legitimā,
per legitimum Scripturæ sensum, atq;
controversum, & nullam partem ex
alio fonte & capite esse legitimam o-
stenditis.

Similem Circulum vitiosum comi-
tunt Acatolici dum contra eos sic ar-
gumentamur: Christus Dominus, qui
ut Deus, erat summa veritas, ut homo,
plenus gratiæ & veritatis, suæ prædi-
cationi & assertioni credi noluit, nisi
suam à Patre missionem signis manife-
stis, & prodigiōsis operibus comproba-
ret; dicit siquidem Joan. 5. v. 31.
*Si ego testimonium perhibeo de meipso, te-
stimonium meum non est verum.* id est,
non est legitimum præcisè ex hoc,
quod testimonium de me perhibeam;
ideo addit paulo post: *Opera enim, quæ
dedit Pater, ut perficiā ea; ipsa opera, quæ ego
facio, testimonium perhibent de me, quia
Pater misit me.* v. 36. Rursum Matt. I. l.
v. 4. Luc. 7. v. 22. Legatis Joannis
inter-

44.
Alter Cir-
culus vi-
tiosus A-
catolici-
corum.

interrogantibus, utrūm ipse esset ille
Messias, quem exspectarent Judæi? Sa-
tiūs censuit mirabilibus operibus in
eorum præsentia exhibitis, quām sim-
plicis vocis assertione responsum dare;
id solum subjiciens: Euntes renunciate
*Joanni, quæ audistis, & vidistis; cœci vi-
dent, claudi ambulant &c.* Matt. XI. v. 4.
Luc. 7. v. 22. Cūm inquam sic argu-
mentamur. Christus Dominus nolu-
it credi suam doctrinam esse divinam,
se esse à Patre missum, nisi probaret
prodigiis; cur vos à fide Romana alic-
ni, vultis credi vestram doctrinam esse
divinam, è cœlo missam, à Spiritu San-
cto dictatam, vos esse à DEo missos ad
Reformandam Ecclesiam, vos habere
Spiritum Sanctum ad discernendum
Scripturarum sensum; cūm id nullis
signis, sed sola nuda assertione probe-
tis? Respondebitis, tēstes tabulas ve-
stræ missionis à DEo, & vestræ Doctri-
næ signa, esse ipsas divinas Scripturas,
quibus vestra Doctrina est consentiens.
Sed boni viri, hoc ipsum queritur in-
ter nos, & vos: Num Doctrina vestra,
vestra Scripturæ sacræ interpretatio sit
legitima, & diuinō verbo conformis?
negamus nos: vos asseritis, & proba-
tis ex eo, quod doctrina hæc à DEo sit
profecta, & speciali Spiritus Sancti in-
spira-

spiratione accepta; sed cùm nos hoc negamus, nec vos ullà probatione, aut signò probetis, illud additis, quòd doctrina hæc, & expositio sacræ Scripturæ, sit ipsi Verbo DEi manifestè consentanea, & hoc esse signum veræ Doctrinæ, & veræ missionis à DEo: per quod patet, quòd recurratis ad controversiæ principium: quærebamus enim, an Doctrina vestra, & expositio sacræ Scripturæ à vobis facta sit consentanea Verbo DEi, & id quod est in quæstione, ac à nobis negatur, vos assertis prultimo fundamento vestræ probationis.

CAPUT VIII.

Impugnatur ulterius spiritus privatius, ab Acatholicis pretensus.

Quæro à vobis Domini Acatholici, an in Ecclesia primitiva, privati, sed præcipue Sancti illi Patres antiqui, spiritum privatum ad discernenda fidei dogmata, & verum sensum saeræ Scripturæ dignoscendum habuerint, nec ne? v. g. S. Justinus, Irenæus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus &c. hi inquam viri Sancti, miraculis clari, qui Ecclesiam DEi illuminârunt, contra hæreses suo-

45.

*An SS. Pa-
tres ha-
buerint
spiritum
Privatum*

Quorum temporum defenderunt, confirmârunt, an hunc spiritum, quô vos p̄æditos jaſtatis, habuerint, an illa caruerint? si illum habuerunt, ergo vera sunt, quæ illi contraria dogmatibus vestris cum Ecclesia definiverunt; puta, de Altaris Sacrificio, Invocatione sanctorum, oratione pro mortuis &c. Nec sunt Articuli illi Verbo DEi Contrarii, si in illis statuendis Patres interiore Spiritu DEI fuerunt induiti; ergo vos erratis dum contrarios articulos statuitis, nec Spiritu DEI ducimini, qui sibi contrarius non est. Aut quomodo à nobis postulatis, ut vobis potius credamus, quam Sanctis Patribus, eò, quod, ut aitis, agamini DEi Spiritu, cùm vos non creditis SS. Patribus quos admittitis eundem yobiscum Spiritum DEi habuisse.

Dicetis ergo, hoc spiritu privato caruisse SS. Patres, & alios privatos in Ecclesia usque ad vestra tempora, illos SS. Patres caruisse, qui à vitæ Innocentia, à sanctitate, sapientia, miraculis toto mundo conspicui, & celebres erant, qui Regna & Provincias, ex Gentilismo ad Christum adduxerunt; qui pro amore Christi omnia perpeſſi sunt: Caruisse Ecclesiam primitivam talibus viris, hoc spiritu p̄æditis; quæ vel maxime

ximè fundendo pro Christo Sangvinē,
 & vitam ponendo, sua capiebat incre-
 menta; sed vobis datum esse illum spi-
 ritum, qui prædicationem vestram nul-
 lis signis, & miraculis confirmatis, qui
 doctrinam carni & sangvini accommo-
 dam prædicatis. Responseonem hanc
 refellere indignum judico; illud repe-
 to, quod supra attuli ad impiissimum
 Regem Tyri: *Eece tu sapientior es Danie-
 le: omne secretum non est absconditum à te.*

Ezech. 28. v. 3. Quasi verò Christus
 Ecclesiæ sponsus, suam sponsam, per
 tot secula despiceret, quæ potius sub
 sua primordia illo principali spiritu
 confirmari debuerat; quasi verò non
 statim ab initio eam omnem veritatem
 docuerit; nunc verò Evangelica con-
 cilia impugnantibus, & contemnenti-
 bus fidefragorum religiosorum, & sa-
 credotum à Religione Apostatarum di-
 scipulis, & sequacibus, hunc spiritum
 divinum reservaverit, iisque indiderit.

Demus demùm, & dissimulemus esse
 talem spiritum apud privatos, cùm tres
 sint in hac Provincia, præter Roma-
 nam Religionem Catholicam receptæ
 Confessiones: Reformata quæ Insti-
 tuta sequitur Calvini, Lutherana, quæ
 vult dici Evangelica, & Unitaria, quæ
 Filiū, & Spiritum Sanctum Patri coæ-

46.

*Omnes A-
 catolici,
 eodem ja-
 re fibi at-
 tribuunt
 hunc spi-
 ritum,
 nullus
 probat.*

qua-

qualem, consubstantialem, & coæternum negat; cùm omnes harum religionum privati æquali jure sibi spiritum hunc possint prætendere & attribuere, quæro ex D. Reformato, num **E**vangelicus, & **U**nitarianus eodem secum Spiritu DEi gaudeant, in dijudicandis rebus Fidei, vel non? si ita; Ergo Reformatus hoc spiritu caret, cum Reformatorum spiritus sit contrarius spiritui Unitariorum, & Evangelicorum; sicut Articuli fidei eorum sunt contrarii, spiritus autem DEi sibi Contrarius non est. Si autem Reformatus dicat **E**vangelicum, & Unitarium hoc spiritu carere; protestabuntur hi, se esse hoc spiritu præditos; dicent, se eum in animo experiri, suum spiritum esse sensu Scripturæ conformem, se esse illos de quibus 1. Joan. 2. v. 20. dicitur: **V**os unctiōnē habetis à Sancto, & nōstis omnia. Et infra: Non nēcessē habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet **v**os de omnibus. Quid hic dicet Reformatus? forte illud ad probandum assūmet, quod Reformatorum spiritus re ipsa sit conformis Verbo DEI; non vero Unitariorum, vel Lutheranorum, illos solūm sibi vanè persuadere, quod eorum spiritus sit Verbo DEi coi sentiens. Sed id vicissim, eodem jure Re-

formato dicent Unitarii, & Lutherani. Præterquam quod hoc modo Reformatus iterum incidet in Circulum vitiosum, cum per legitimum sensum Scripturæ, vel per consensum cum Verbo DEi, de quo est quæstio, probat spiritum suum privatum, & per spiritum privatum ignotum similiter, legitimū Scripturæ sensum. Multò difficultius sopiaetur controversia, si in eadem Religione de sensu Scripturæ, vel fidei Articulo exurgat quæstio, qualiter apud Reformatos fuit orta inter Arminianos & Gomaristas, de qua infra pluribus; cum juxta illos unica fidei Regula sit verbum DEi, & eorum quilibet æquali jure se habere prætendant spiritum illum interpretandi, & discernendi Verbum DEi, spiritum suum esse re ipsa consentientem cum Verbo DEi.

CAPUT IX.

Instabilis, & inconstans fidei Regula apud Acatholicos.

ACATHOLICI, ubi deberent sensum suum ad fidei mysteria accommodare fidei mysteria nituntur accommodare ad sensum suum. Hinc, dum non mysteria Fidei, sed re ipsa anticipatam animi sui persuationem sectantur ut fidei Regulam, obtrudunt, &

47.
Aliqui
addunt
symbola
regulae
fidei.

stant primò ; se nullam admittere fidei regulam, præter Verbum DEi scriptum ; in hoc tamen non persistunt, sed aliquid superaddunt non pauci, cui innitatur eorum fides. Nam aliqui superaddunt etiam Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, Athanasii, vel Catechismum suarum synodorum esse regulam fidei, quæ tamen non sunt Verbum DEi scriptum, nam nec Symbolum Apostolorum accepimus scriptō ab Apostolis, ut testatur Ambrosius, August. Hieronymus.

48.

Alli evidentes cō sequenti-as.

Alii dum Verbum DEi expressum requirunt pro Regula Fidei, illud tum variis modis restringunt, & modificant, ut quid præcisè velint, aut determinent, ne ingeniosus quidem capere possit aut divinare, cùm tamen nisi Regula fidei constet, ipsa Fides vacillare debet. Assertum patet; dum enim dicunt, nihil se, nisi purum Verbum DEi tradere, nihil credere, nisi quod expressis verbis in Scriptura sacra continetur; & ab illis quærimus, ubi hic, vel ille Artieulus, expressis Verbis in sacra Scriptura continetur. v. g. Hic ipse. *Nihil esse credendum, nisi quod in Verbo DEi scripto invenitur expressum?* videntes se succumbere, doctrinam suam ampliant, dicentes : *Nihil esse crea-*

dens

dendum, nisi quod in Verbo DEi expressum sit, aut, certè ex illo deductum per eviden- tem consequentiam. Sed dum hoc ad- struunt, jam ab illa sua regula rece- dunt; quod enim est ex Scriptura, per quamcunq; consequentiam deductum, non est purum, aut expressum Verbum DEi, sed humana ratiocinatione con- vestitum, ac subornatum.

Rursus, dum urgetur, ut varios fidei suæ Articulos per evidentem conse- ^{49.} Alii annos logiam
quentiam ex Scriptura sacra deduce- rent. v. g. Papam esse Antichristum, vel fidei. Christum non contineri realiter & substan- tialiter in Eucharistia &c. Iterum hæ- rent, & ad se defendendos obscuris ter- minis utuntur, ac dicunt: Regulam fidei esse solum Verbum DEi scriptum, per se- ipsum, secundum analogiam fidei exposi- tum. Quibus verbis, si significarent tantum, Verbum DEi esse per seipsum fidem faciens, neq; ullâ indigere ex- trinsecus expositione, eò, quod vel per seipsum clarum sit, vel si quæ oc- currit verborum obscuritas, ea tolli possit locorum inter se collatione, pos- set intelligi, quid dicant. At cùm ul- trà additur: per seipsum secundum fidei analogiam expositum, obscurissimum est, & in præsenti materia Oedipo indiget, cùm tamen fidei regula clara esse de- beat,

Dixi in præsenti materia esse obfculissimum; nam in alio argumento Apostolus his verbis utitur, Rom: 12. v. 6. *Sive Prophetiam secundum rationem fidei;* in Græco enim, pro rationem, legere est analogiam, sed Apostoli vocum Ambiguitas satis explicatur in contextu reliquo, & Apostolus nihil aliud vult, quam ut qui à DEo dono prophetia, seu gratiâ explicandi doctrinam, & scripturam divinam, donati sunt, eâ utantur secundum proportionem, & mensuram fidei, seu intelligentiæ, & sapientiæ à DEo sibi concessæ, neq; quidquam addant ex ingenio suo, multò minùs extra regulam fidei quidquā loquantur, aut sapiant: in quem tex-tum priùs dixerat: *Non plus sapere, quam opportet sapere, sed sapere ad sobrietatem,* & unicuiq; sicut Deus divisit mensuram fidei Rom. 12. v. 3.

50. At in præsenti materia prædictas voices non posse applicari, clarum est; *Analogia bujus ratio intellegi non potest.* quia hic queritur, quæ sit regula ex parte objecti, movens hominis mentem ad hoc, vel illud credendum tanquam dictum, & revelatum à DEo, cùm priùs in Sancti Pauli dicto sensus sit, debere quemlibet DEo loquenti credere, secundum mensuram intelligentiæ sibi à Deo datae, quod ad rē præsen-

sentem non facit. Restat ergo tota
 difficultas, quô nimirum sensu accipi-
 antur hæ voces, *Analogia fidei*. Nam
 analogia omnis, seu proportio, cùm sit
 inter duo, quorum unum comparatur
 ad alterum, perplexum, & dubium ma-
 net, an per eas voces importetur pro-
 portio, seu comparatio *Verbi DEi ad*
fidem; an verò comparatio seu propor-
 tio *fidei ad Verbum DEi*, quorum neu-
 trum videtur intelligi: si enim intelli-
 gatur proportio *Verbi DEi ad fidem*,
 sensus erit: *Verbum DEi exponendum*
 esse per respectum ad fidem, seu articulos fi-
 dei, qui credendi sunt, per quod habetur,
 quod non *Verbum DEi* sit regula, seu
 mensura fidei, sed è contra fidem, seu
 articulos fidei esse regulam, & mensu-
 ram expositionis *Verbi DEi*. Si verò
 intelligatur secundum, scilicet compa-
 ratio, seu proportio fidei ad *Verbum*
DEi, sensus erit: *Verbum DEi esse expo-*
nendum secundum proportionem, quam
fides, seu res credenda habent ad Verbum
DEi. Per quod non satis determina-
 tur, qua in re sit ea proportio; & vi-
 detur esse circulus petitionis principiū,
 cùm juxta hunc modum conjunctione
 dicatur:

Verbum DEi sic exponendum, quia res
credenda sic intelligenda est: & vicissim,

bunc articulum sic intelligendum, quia Verbum DEi, quod est regula fidei, debet sic intelligi.

Quod autem per Verba citata vellint, ut Verbum DEi per respectum ad fidem, seu articulos credendos expnnatur, atq; sic articulos suæ fidei constituant pro regula, & mensura expositionis Verbi DEi, indicatur sufficienter in versione Gallica Bibliorum Genevensium Anni 1573. in cuius Præfatione versionis Authores, spiritu privatō afflati profitentur, se in ea adoranda varia addidisse, imminuisse, detraxisse, aut plures hebraicos loquendi modos emolliisse; Usos in eo sancta aliqua libertate, (verba sunt eorum) secundūm quod DEo placuit illis elargiri de suo discretionis spiritu. Deinde addunt, pro sua scilicet autoritate; relinquere se aliis libertatem Scripturam sacram convertendi, eā tamen conditione adiectā; dummodo eorum versio conformis sit nostris articulis fidei. Quā libertate usi sunt versores Bibliorū Hungaricorum, qui in quinq; primis successivis editionibus, uti fatentur in præfatione editionis sextæ Amstelodamensis Anni 1685. aliquot millia vocum, & constructionum omiserunt, aliquot item milia de suo addentes, ea à sacræ scripturæ ver-

ræ verbis non distinxerunt, aliqua immutârunt; scilicet servare volentes mandatum DEi Deut. 4. v. 2. Apoc. 22. v. 19. quô vetamur Scripturis sacris quidpiam de nostro, tanquam à DEo dictum addere, vel minuere.

Observa hic Lector benevole, incidenter, cùm sic, uti fatentur, tractent Scripturas sacras, quomodo sibi possunt blandiri, quod habeant purum & sincerum Verbum DEi? quomodo audent Ecclesiam suam dicere esse Ecclesiam Christi, cuius juxta ipsos, nota, & signum est sincera prædicatio Verbi divini? Scriptura certè tot millenis vocibus, & constructionibus mutilata, tot item millenis additionibus dicto superius modò aucta, immutata, nec purum DEi Verbum est, nec sincere prædicari potest; hæc incidenter. Redeo ad argumentum.

Attendi ad verba ultima; dummodo eorum versio conformis sit nostris articulis fidei. Ex quibus clare colligitur, quod articulos suæ fidei, faciant regulam, & mensuram Verbi DEi, & non verbum DEi, regulam articulorum suæ fidei, quod tamen se facere jactant.

Sed & Plessæus eorum Doctor non postremus, ait: *Ut interpretatio, quam Verbo DEi datus, aut recipimus, retineat*

semper analogiam fidei, proportionata sit,
aut correspondens corpori doctrinae Chri-
stianæ.

Per quod, quid aliud vult dicere,
quam, eō sensu exponendam esse Scrip-
turam, servatā semper analogiā fidei,
inquantūm in ea exponenda semper
habendus sit respectus ad corpus fidei
Calvinianæ, sive ad articulos creditos;
ita ut nihil scriptū intelligatur, quod
aliquo modo repugnet corpori doctri-
næ Calvinianæ, seu eorum fidei Con-
fessioni. Quod, quid est aliud dicere,
quam Articulos Fidei, esse mensuram,
& regulam expositionis, & interpreta-
tionis Verbi DEI?

51.
*Omnis Se-
da hanc
regulam
pretende-
re potest.*

Accedit, quod æquali jure hanc re-
gulam suis Articulis aptare possit Uni-
tarius, Lutheranus, Anabaptista, æquè
ac Calvinista, in quorum tamen fidei
Articulis nunquam non erit discrepan-
tia.

CAPUT X.

*Temere usurpantes analogiae rati-
onem, quam male Scripturam inter-
pretentur.*

52.
*Circa ba-
ptismum
analogia
ratio.*

Quām perniciosa sit licentiosa a-
nalogiæ usurpatio, unicum hic
adduco, quod circa baptismū
tenent; de justitia hominis per solam
fidem,

fidem, videbis capite sequenti. Clärē dicit Salvator Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI* Joan. 3. v. 5. Et tamen ob hanc analogiæ rationem tenent, etiam alio liquore posse fieri baptismum in casu necessitatis. Fidelium Infantes salvari posse sine baptismo. Aliqui item, illegitimos non esse baptizandos &c. Quæ est ista boni viri pura Verbi DEi prædicatio? Dicatis, vos nihil credere, nihil credendum proponere, nisi quod in Verbo DEi expressum habetur; dum tamen id non succedit, eò proceditis, ut dicatis; Nihil esse credendum, nisi quod in Scriptura sacra expressum, vel deductum per necessarias consequentias ex Verbo DEi. Per quod lièct magna via aperiatur, ut yobis dogmata genio arridentia cudatis, & veluti Scripturæ consentanea venditetis, cùm sit primum pro affectu suo cuilibet talem consequentiam fingere, quæ præoccupato animo appareat evidens, ubi alter eam nec probabilem judicabit, quallem putatis; v. g. quòd Papa sit Antichristus &c. nondum tamen hoc contenti, demum ad cæcam, & licentiosam analogiæ fidei confugiendum existimatis, cuius prætextu, ut quemli-

bet errorem sub prætextu Verbi DEI palliare, & adstruere possitis. Quan-
tò clariùs, sinceriùs, & certiùs proce-
dimus Catholici, cùm pro Regula fidei
Verbum DEI, sive scriptum, sive tra-
ditum (quid emīm interest dummodo
utrumq; constet esse Verbum DEI) af-
signamus, cō sensu acceptum, quō il-
lud intelligit, ac proponit Ecclesia, Co-
lumna Veritatis, I. Tim. 3. v. 15. Quam
Spiritus Sanctus docet omnia, Joh. 14.
26. At quid mirum? veritas aperta,
nuda, ac simplex est; at mendacium &
error multiplici ambage se involvit, ut
fucata veri specie fallat ineautos.

CAPUT XI.

*Omnibus hæresibus fuit, & est pro-
prium, non sensum suum ad sacras Scri-
pturas, sed Scripturas sacras ad sen-
sum suum accommodare.*

*Praxis &
origo Ha-
resum.* **U**TINAM omnes sequerentur moni-
tum S. Hieronymi, ait is in Ca-
put 10. Matt. Prudens Lector cave super-
stitionis intelligentiam, ut non tuo sensui
attempores scriptaram, sed scriptura iun-
gas sensum tuum. Sed quia difficulter
quis avellitur ab eo, quod semel ada-
mavit; id quod adamavit, vult esse ve-
ritatem; & quia falli non vult, non
vult

vult convinci, quod falsus sit, ut ait S. Augustinus L. I. Conf. c. 23. Fece-
runt id omnes hæretici antiqui. De
sui ævi notat Tertullianus de præscri-
ptione C. 17. quod Scripturas variè,
ad dispositionem sui instituti pver-
terent, & fidei doctrinam pro arbitrio
suo componerent. De Manichæis Au-
gust. notat, quod id viderentur agere,
ut suus cuig_z animus, (sive propria animi
perfusio) author sit, quod in unaquaq_z
Scriptura probet, quod improbet. Univer-
sè S. Ambr. in Cap. 3. Ep. ad Titum.
Hæretici sunt, qui per verba Legis , Legem
impugnant ; proprium enim sensum verbis
adstruunt Legis ; ut peruersitatem mentis
suæ, Legis autoritate commendent. Hæc
est origo Hæresum, ut observat S. Hi-
larius Lib. 7. de Trinitate contra Ari-
anos. Ex vitio mala intelligentia, fidei
exitisse dissidium, dum quod legitur, sen-
sui potius coaptatur , quam Lectioni sen-
sus obtemperet. Ex quo consequens est,
ut quod subjungit, l. 8. Fidem ipsi sibi
potius constituant, quæ accipient, dum
nempe studio humanae inanitatis inflati,
quæ volunt sapiunt ; & nolunt sapere, quæ
vera sunt. Fiunt hæc etiam nostra æ-
tate ; ut dicere possimus, quod de tem-
poribus Arianorum scripsit idem S. Hi-
larius ad Constantium Augustum : Pe-

riculosum, inquit, nobis admodum, atq; etiam miserabile est, tot nane fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas, quot mores, dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur.

^{54.}
Qualiter procedat
Lutherus, qui cum
ut firmet errorern
de Justificacione
per solam fidem.

Exempla dedit Lutherus, qui cum statuisset, (unicum addo plurimis o-Lutherus, missis) quasi basin religionis a se condendæ, *Justitiam hominis per solam fidem*, advertens deinde instituto suo esse contrariam Epistolam S. Jacobi, præfertim verbis illis, c. 2. 24. *Ex operibus justificatur homo*, & non ex fide tantum, Epistolam illam, ab Ecclesia Universali pro Canonica agnitam, censuit ex Canone sacerorum Librorum recidendum. Ut doctrinam suam magis firmaret, Verbis Apostoli Pauli ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem*, addidit *solam*. Innumeras autem Novi Testamenti sententias, quibus operum justitia, & observatio mandatorum adstruitur, ut earum vim cluderet, constituit esse intelligendas non in sensu proprio, sed ironico, aut verbis ipsis directe contrario.

Quod si sic, ergo juxta illum verba illa: *si vis ad vitam ingredi*, serva mandata, Matth. 19. v. 17. debent intellegi in sensu ironico, & contrario, sensusq; eorum erit: *si vis ad vitam ingredi*,

di, non serva mandata. Quo quid absurdius? Quod si autem verba illa debent intelligi in sensu ironico, & contrario, ergo & ista in tali sensu erunt intelligenda: Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione. Joar. 15. v. 10. Jam hujus comparationis, vel una pars tantum intelligi debet in sensu ironico, & Contrario, vel utraque? Si una tantum, sensus erit: Si præcepta mea non servaveritis, manebitis in dilectione mea, (quod quis prudens dicet, dilectum sibi fore, si præcepta sua non servet) quemadmodum ego præcepta Patris servavi, & maneo in ejus dilectione; judicet jam prudenter quis, an prudens esset hæc comparatio: non servate mea præcepta, ut manebatis in dilectione mea, quemadmodum ego præcepta Patris servavi, & maneo in ejus dilectione. Si autem utraque pars comparationis sumi debet in sensu ironico, & contrario, veluti hic dicitur per Analogiam fidei, sensus Verborum Christi Domini erit: Si præcepta mea non servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego Præcepta Patris mei non servavi, & maneo in ejus dilectione. Sentire autem de Filio DEi, quod præcepta Patris non servaverit, an non sit sum-

summa blasphemia, conscientiosus judicet. Certè sic scripturas ad suum sensum accommodare est repugnantes ad se trahere, sēq; ipsum constituere divini verbi interpretandi normam, & regulam, ut clarum est.

ss.
Alii Legi-
bus natu-
ra accom-
modant
sacras
Scriptu-
ras.

Alii præfigentes dogmata suo genio, & præoccupato sensui placentia, pro solidissimo fundamento ponunt, incredendo, non tantū attendendū esse, quid sacra dicat Scriptura, sed etiam quid rerum natura ferat, quid ab humano intellectu sit perceptibile. Quod si tale aliquid in sacra Scriptura tradatur quod nostram intelligentiam superat, illud non in sensu proprio, sed in exotico, metaphorico, hyperbolico accipiendum esse dicunt. Hinc quia nunquam vident idem Corpus esse in duobus locis, vel sine externa dimensione, illud dicunt non posse fieri etiam per extraordinariam, & absolutam DEi potentiam; unde inferunt Corpus Christi Domini aliunde jam existens in Cœlo, in Eucharistia realiter esse non posse. Alii Verbum DEi, non esse incarnatum, non dari Mysterium SS. Trinitatis, & quidem eodem jure, quō priores, pessimè tamen omnes, quia ingenium suum præoccu-
patum

patum non captivant in obsequium si-
dei.

Hinc etiam ulterius patet, Catholi-
cos plus deferre Verbo DEi, quām A-
catholices; Catholici enim primas
deferunt Verbo DEi, secundas autem
ratiunculis ex infirma nostra intelli-
gentia, aut rerum naturalium Ordine
petitis. Acatholici è contra atten-
dunt ante omnia ad debilem suum sen-
sum, naturæque Leges, ut his consultis
pronuncient, in quem sensum sit acci-
piendū Verbum DEi. v. g. Discurrunt
Acatholici: Non potest esse idem Corpus
in duobus locis, vel sive externa dimensione;
quia id nunquam experimur: atqui Cor-
pus Christi verè est in Cœlo, ergo ne-
quit simul esse in Eucharistia; ergo ver-
ba Christi: *Hoc est Corpus meum.* Matth.
26. v. 26. sumenda sunt, non in pro-
prio sensu, sed Metaphorico, & alio
distinto à proprio. E contra Catho-
lici ita discurrimus: Corpus Christi est
in Cœlo, & est etiam verè, & realiter in
Eucharistia, quia ita postulat verborū
Christi genuina proprietas, & perpe-
tuus de eorum verborum intellectu
Ecclesiæ sensus; ergo per absolutam
DEi potentiam, idem Corpus potest
esse simul in duobus locis. In quibus
duobus argumentandi modis, appareat
diffe-

56.

Catholici
plus tri-
buunt
verbo
DEI,
quām A-
catholici.

differentia hæc esse; quod Acatholici pro basi, & fundamento argumenti, ponant principium ex naturali experientia, vel humana ratione petitum, ex quo procedunt, & concludunt, an Verbum DEi sit accipiendum in sensu proprio, an metaphorico tantum. Ex quo clarè patet, quod dextro, uti dicuntur, oculo aspiciant naturam, sinistro autem Verbum DEi, id est naturale rationis lumen ponunt pro regula sensus verbi divini; cum è contra Verbum DEi, qui est certissima, & suprema veritas, debeat esse regula luminis naturalis.

Catholici verò ante omnia attendimus, quis recipia sit Scripturæ sensus, quem dum deprehendimus, tum ex genuina Verbi DEi proprietate, à qua nihil est, quod nos compellat recedere; tum ex Ecclesiæ (quæ divinæ veritatis interpres est, juxta Iсаiæ 59. v. 21.) definitione, ac traditione, pro comperto habentes, Corpus Christi verè esse in Cœlo, & in Sacramento, naturale illud principium modificamus dicentes: Licet naturaliter, & secundum ordinarias divinæ providentiae leges, non possit idem corpus esse in duobus locis, potest tamen esse per absolutam DEi potentiam, quæ impen-

se transcendit naturæ vim, seu naturalis luminis, aut rationis humanæ sibi relietæ infirmitatem: & sic dextrō oculō aspicimus Verbum DEi, sinistrō naturam, ac obsequimur Apostolo cautè monenti, I. Cor. 2. v. 5.

Ult Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute DEi. Metiri non volumus divina Mysteria sensū nostri infirmā sapientiā nec tractare divinos effectus opinione nostra, ante oculos habentes illud Sap. 9. v. 16. Difficile astimamus, quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in Cœlis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam Deo. Sapienter agnovit Philosophus 2. Met. c. 1. Quod sicut oculi Vespertilionis se habent ad lumen diei, ita intellectus anima nostræ ad manifestissima naturæ. Qui igitur sufficiens erit suo lumine naturali ad pervidenda ea, quæ supra naturam sunt? sed hæc non audit, qui non credit, nisi quod sapit, nec amat sensum suum subjici Verbo DEi, sed illud potius ad sensum suum fletere intendit, cuius nimirum fides est in sapientia hominum, à qua nos dehortatur Apostolus, I. Cor. 2. v. 5.

CAPUT XII.

*Fides specialis Reformatorum, non
nititur sacrâ Scripturâ ut Regulâ.*

57.
*Fides spe-
cialis Re-
formato-
rum.*

Specialem Reformatorum fidem vo-
co illam, quâ juxta Calvinum e-
nusquisq; fidelis, credere debet, se ju-
stum esse, & ad vitam æternam pro-
pter Christum ex speciali DÆi benevo-
lentia præordinatum, in quo actu fi-
dem Justificantem dicunt consistere.
Dicit Calvinus L. 4. Inst. c. 17. §. 2.
*Hinc sequitur, ut nobis securè spondere au-
deamus, vitam æternam nostram esse, cuius
ipse (Christus) est hæres: nec Regnum Cœ-
lorum quôjam ingressus est, posse magis no-
bis excidere, quam ipsi.*

58.
*Non niti-
tur scri-
pturâ.*

Ponamus igitur Joannem Calvini-
stam credentem se esse justum, electum
à DEO, perventurus ad Cœlum. Quæ-
ro, in quo Verbo DÆi scripto funde-
tur hic actus fiduci, vel ex quo Verbo
DÆi scripto inferatur per evidenter
consequentiam? si enim nec expresse
habetur in Verbo DÆi, nec ex Verbo
DÆi deducitur evidenti consequentiâ,
propositio illa: *Joannes Justus est per-
venturus ad Cœlum;* eō ipso vel credi
non potest, vel certè pro hoc actu fi-
dei, alia regula erit quærenda. Pro-
missio

missio generalis, quâ fidelibus ad finem perseveraturis, Christus promisit vitam æternam, non sufficit, ut evidenter inferam; Ergo Joannes est perveniens ad vitam æternam. Debet ergo applicari Joanni, quod sit fidelis, & ad finem perseveraturus, & argumentum formari hoc modo:

Fidelis ad Finem perseveraturus perveniet ad vitam æternam; sed Joannes est fidelis ad finem perseveraturus: ergo perveniet ad vitam æternam, sed hoc ipsum, quod Joannes sit fidelis ad finem perseveraturus, quod id fide sit credendum, in quo Verbo DEi fundetur, quæstio recurrat, ut ex eo deducatur per evidenter consequentiam; ergo Joannes est perveniens ad vitam æternam?

Si dicas esse internam revelationem spiritus; jam infero: ergo Verbū DEi scriptum non est unica, & adæquata regula fidei, nam interna illa revelatio, non est verbum DEi scriptum.

Si dicas certitudinem illam sufficienter fundari in eo, quod Rom. 8. 16. dicitur: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii DEi* Contra est primò: quod hic locus non possit accipi de certitudine fidei, sed tantum de certitudine morali, ne sit contrarius aliis textibus oppositum

svadentibus. v. g. Prov. 20. v. 9. *Qui potest dicere: mundum est oor meum, purus sum à peccato.* Eccl. 9. v. 1. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manæ DEi;*
& tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil enim mihi conscientius sum: sed non in hoc justificatus sum.*

Contra est secundò. Demus Reformatis cum sensum, quem intendunt, re ipsa cadere in locum citatum Apostoli ad Rom. 8. v. 16. adhuc tamen nihil facit ad rem propositā; aliud enim est ex citato textu quasi reflexè haberi unicuique justo per interioris spiritus persuationem, aut revelationem constare certò de sua justitia; aliud hanc ipsum textum posse directè, & ut propriam regulam ad hoc conducere, ut hic justus, puta Joannes in se formet actum fidei de sua justitia, quod clarum est, fieri non posse; cùm textus ille, loquutio illa diuina nihil dicat, de cuiusque hominis, vel Joannis Justitia, sed solum quasi conditionatè affirmet, quod dei qui justus est, per internum spiritus testimonium, certò constet, quod sit Filius DEi. Ex quo apparet fidem illam, seu persuationem non haberi in justis à spiritu sancto per scripturam loquente; sed ab interiore ejusdem spiritus

ritus testimonio, quod non est Verbum DEi scriptum. Ex quo discursu denique clarum est, Fidem specialem Reformatorum, si quæ datur in rerum natura, non in Verbo DEi scripto fundari tanquam in regula fidei, sed habere aliam specialem regulam, & consequenter, quod erat probandum, Verbum DEi scriptum non esse regulam omnis veritatis credendæ.

CAPUT XIII.

Dere cursu Acatholicorum ad Principes, & Magistratus seculares in rebus fidei controversis.

Dicunt quidem Acatholici, se non ^{Lajci Princ} aliam Regulam habere, quam cipes. [&] Verbum DEi scriptum, nec alium ^{Magistrat} controversiarum Judicem, quam Spiritum ^{tus, Judi} Sanctum per scripturas loquentem, ac ^{ces con} hoc titulo rejiciunt Pontificis autho ^{troversia} ritatem, Ecclesiæ, ac Conciliorum de ^{arum a} definitionem, Verbū DEi traditum, tan ^{pud. Acad} quam humana, atq; profana; ipsi vero ^{tholicos.} ad Magistratus, Lajcos, ac profanos, non tantum quoad externū regimen; sed etiam quoad fidei dogmata recur ^{runt, eorum oracula audiunt, horum} definitioni se submittunt. Sic in Hol ^{landia audiunt à statibus Hollandiæ.}

In Scotia acceperunt sub Jacobo sexto à Parlamento, ac aliis Judicibus secularibus fidei confessionem: Rex Magnæ Britanniæ absolutum caput Ecclesiæ Anglicanæ agnoscitur.

In Transylvania ad ortam de Cœna Domini Controversiam definiendam requisitus Princeps Joannes Sigismundus Arianus Enyedini synodum indixit, ac Judicem Controversiæ Georgium Blandratam Medicum constituit. Unitariis circa Baptismum dissidentibus Judex fuit Princeps Transylvaniæ Georgius Rákóczi Calvinista, illisq; imposuit, ut in posterum non modò adultos, sed & infantes, & quidem non per trinam immersionem, ut eorum Religio præscribit, sed per ablutionem, ac confvetâ formâ: in Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti (quæ antea non servabantur) baptizarent. Alia exempla brevitatis causâ omitto.

60.

*Inutilis
recursus
ad Magi-
stratus
Lajos.*

Sed cui bono talis recursus? vel enim habent Ministri Acatholici spiritum DEi privatum quo Dogmata fidei possint discernere, vel non habent? si non habent, cur se habere jactant? aut quomodo possunt supponere, quod eum habeant Principes, & Magistratus seculares, cùm spiritus hic, magis competit Pastoribus Ecclesiæ, quos Chri-

Christus constituit regere Ecclesiam suam. Si verò habent Ministri Ecclesiae, hunc spiritum, cur recurrent ad magistratus, & Principes seculares? cur ipsi non possunt controversias compонere? immo quomodo possunt controversiae inter Ministros oriri, cùm Spiritus DEi contraria dictare non pos sit, sed omnes faciat in unam veritatem conspirare, juxta Act. 4. v. 32.

Item quâ ratione illi, qui se tali spiritu donatos judicant, & censemant certam sibi ab illo veritatē inspirari, consentire possunt in recursum, vel appellatiōnem ad Principem, vel Magistratum secularē? cùm id reipsa esset (ut nobis variè objiciunt) ad humanum judicium provocare, & veritatem DEi, periculo profanæ, & falsæ definitionis exponere. Non enim apparet, ex quo principio hi Judices possint de rebus fidei certam proferre sententiam, cùm non supponantur, ex ipsa rei natura esse instructiores Ministris, & Doctoribus Ecclesiae, nec convenit, ut Grex dirigat, & regat Pastorem. Nec dici potest, quod ad hoc sint adjuvandi speciali assistentiâ Spiritus Sancti, cùm juxta Apostolum, ad Eph. 4. v. 12. non Principes, aut Magistratus seculares, sed Pastores, & Doctores Christus con-

An. M^o
gistratus
spiritu
privato
praditust

stituerit Ecclesiæ, in opus Ministerii, in
ædificationem Corporis Christi: donec occur-
ramus omnes in unitatem fidei, &c. Ut
jam non simus parvuli fluctuantes, & cir-
cumferamur omni vento doctrinæ. ¶. 14.
Unde etiam sequitur, quod cum tali-
um Judicum sententia ex nullo capite
firmitatem habeat, non teneatur quis
contrarium sentiens, in conscientia
obtemperare, sed ad summum externa
specie, & politicâ ratione silentium, &
pacem servare, licet Acatholicus sit;
siquidem etiam post talium Judicum
sententiam, ad quam recurrerat, æquè,
ac ante illam, omnia maneant incerta,
& controversa.

62.

Certiūs a-
gunt Ca-
tholici.

Certiūs, & firmiūs procedimus Ca-
tholici in fidei, ac salutis negotio: ubi
enim aliqua perplexitas, vel contro-
versia occurrit circa fidei veritatem,
non recurrimus ad spiritum priyatūm,
non ad Principes seculares, sed ipsius
Ecclesiæ aduersus quam, in petra fun-
dataim, firmamentum & columnam ve-
ritatis, à Christo stabilitam, nullam
unquam hæresim prævalitūrā scimus.
Matth. 16. ¶. 18. 1. Tim. 3. ¶. 15. Ea su-
per re sensum, Traditionem, definitio-
nēmve exquirimus; ubi de ea consti-
terit, simpliciter, & promptè, immobi-
les, unanimēs acquiescimus, & adhæ-
remus;

remus; certi, Ecclesiam esse indubita-
tam Spiriūs Sancti interpretem, & quid-
quid illa tradiderit, definiteritq;, in-
fallibilem esse, ac eternam veritatem
Isa. 59. v. 21.

E contrā per recursum ad potesta-
tes seculares obtineri non potest, ut
eorum definitioni immobiliter, & una-
nimiriter acquiescatur; quandoquidem
idem Princeps, aut ejus successor, vel
Magistratus secularis, liberrimè potest
ab eo, quod priùs statutum est, recede-
re, neq; unquam omnes, qui eandem
sectam profitentur, in eadem dogmata
sint consensuri. Quare necesse est flu-
tuare omnia. Exemplo sit Jacobus
sextus Rex Scotiæ, qui juratus subscri-
psit Confessioni Calvinistarum Purita-
norum Scotiæ, protestatusque est, se o-
mnibus illis articulis assentiri in con-
scientia, ut indubitatae veritati DEi;
vocatus verò ad coronam Angliæ, fa-
ctus est Protestans, seu Formalista, &
authoritate sua convocavit synodum,
in qua edita est Confessio Fidei Anti-
puritana, Ritus varios Ecclesiæ sanci-
ens, & præcipiens, quos Puritani ad
Idololatriam, & superstitionē pertine-
re contendunt. Quod videntes Pu-
ritani, fremebant quidem, sed tamen
Regem dictum pro capite Ecclesiæ et-

63-

Principes
G. Magi-
stratus
secularis
sua statu-
ta mu-
tant.

iam jure jurando agnoscebant. Ioannes Sigismundus de Zápolya Princeps Transylvaniæ, ex Catholicò factus Lutheranus, ex Lutherano Calvinista, ex Calvinista Arianus.

Aliorum Principum Exempla non adduco, qui prout occasio ferebat, jam sequebantur Lutherum, jam Calvinū, vel è diverso, jam hos, jam illos amplectebantur fidei articulos, & subditis suis ex aulis oracula dabant. Diversens semel in certis partibus Sacerdos noster, ab homine, à quo hospitio erat exceptus quærebat: quænam ibi Religionis forma servaretur? responsiloco accepit: anno priore hoc, illudve creditum fuisse: nescire vero quid anno sequenti essent credituri; propterea, quod credendorum formula nondum emanasset ex Aula Principis.

64. *Jugis durum Misericordia acatholicon.* Recte hic Ministris Acatholicis illud applicari potest: Qui timent pru-
bam, irruet super eos nix. Job. 6. v. 16. Nam falsò praetextu libertatis Evangelicæ à Vicarii Christi obedientia, quam Tyrannicam vocant, se subducentes, aunc à Princibibus, & Magistratibus secularibus, in rebus fidei sibi jurisdictionem usurpantibus definitiones accipere debent; quod vel ex eo illis durissimum videri deberet, quod exer-

ccatur in eos, qui juxta principia religionis suæ, se Spiritu DEi instructos ad id, quod credere debent, esse existent.

Si dicas: Principes, vel Magistratus seculares dum aliquid definiunt in rebus fidei, non stringunt conscientias, ut subditi non possint contrarium sentire in animo, sed tantum per id consultunt tranquillitati publicæ, ne videatur dissensio animorum, ne tumultus oriantur; permittunt cuilibet suum sentire; sciunt enim, quod *Iustus in fide sua vivet.* Habac. 2. v. 4.

R. Ergo hoc ipso Regula fidei, & iudices in rebus fidei esse non possunt, & post illorum decisionem controversiae fidei manebunt indecisæ. Præterquæ, quod hoc sit ludere in negotio salutis æternæ, si idea Religionis assumatur, quæ politicæ paci subserviat, & quid cultus DEi, quid veritas exigat, non attendatur. Si servata tantum externa specie religionis præscriptæ, relinquatur libertas credendi, quod cuicunque placitum est, subrepet libertas nihil credendi, sicut ruet misera anima in Atheismum, Epicurismum, & tandem in æternæ damnationis barathrum.

Illud ex Habacuc citatum allegabat in sua Epistola Rex Angliæ, quâ hortabatur

batur Principes Europæ, ut suum secuti exemplum, scripturas ipsimet volentes, normam credendi ipsi conficiant, quando inquit, *Justus ex fide sua vivet, & unusquisque fit fide proprias salvus.* Sed parùm scitè; nam Habacuc 2. v. 4. dicitur: *Justum in fide sua victurum, sed inquam, quam quisq; subjectivè (ut dicunt) habeat in se metipso; non verò quasi ex parte credendorum, quisq; debeat sibi fidem fabricare propriam & specialem; & non potius, ut credat ea, quæ credenda proponit Ecclesia; alias etiam Gentilis fabricando sibi fidem, in ea esse justus, & salvari posset.* Hinc vides, quòd nec hic possint Aca- tholici pedem figere, & de suis Articu- lis certitudinem habere.

CAPUT XIV.

Synodi Aca tholicorum ineptæ ad sopiendas controversias fidei.

65.
Historia
Synodi
Calvinia-
na.

UT ostendam, nec per Synodos quidem suas, posse ab Aca tholicis controversias fidei definiri, unicam eámq; celeberrimam prioris seculi sub exordia celebratam proponam; ex ejus consideratione clarum erit, Synodos Aca tholicorum ad hoc negotium ineptas esse. Inter Leydenses Refor-

mato-

matorū Theologiæ Professores in Hol-
landia, Jacobum Arminium, & Fran-
ciscum Goñarum, eorūmq; assecas,
circa divinam providentiam, homi-
nūmq; seu Prædestinationem, seu re-
probationem, aliāq; annexa decreta,
gravis & turbulentia, ac Reformatæ Re-
ligioni scandalosa orta sicut controver-
sia. Arminiani propter Libellum Or-
dinibus Hollandiæ porrectū dicti sunt
Remonstrantes, Goñaristæ, propter
responsum ei Libello oppositum, ap-
pellati sunt Contra-Remonstrantes.
Initio Arminiani ad Politicum Magi-
stratum, status, inquam, Hollandiæ re-
currunt, tanquam ad Legitimum Con-
troversiarum fidei Judicem. Magistra-
tus Patrocinium Arminianorum, seu
Remonstrantium suscipit, pro Autho-
ritate sua Synodum cogit, decretum e-
dit Arminianis favens, Goñaristarum
autem sententiā damnat, ac doceri ve-
tat. Acquiescunt Arminiani seu Re-
monstrantes, per Synodum Spiritum
Sanctum loquutum esse recognoscunt.
Tumultuantur è diverso Goñaristæ
seu Contra-Remonstrantes, & negant
fidei controverſiarum cognitionē Ma-
gistratui politico competere, ac vehe-
menti scripto ipsos ordines aggressi
demonstrant, quantæ ex Remonstran-
tium

cium conatu corruptelæ suboriri possint. Placuit ergo Ordinibus Hollandiæ, ut res finiretur cum majori auctoritate, ex omnibus Regnis, & Provinciis, ubi Reformata vigebat Religio, viros eruditos suis sumptibus evocare, & quasi Generalem synodum cogere, quæ Dordraci celebrata est per complures sessiones.

66.
Decisio
Synodi.

In Synodo probata est sententia Contra - Remonstrantium quæ prius fuit damnata, & prohibita; Doctrina verò Remonstrantium prius probata, condemnata est, quòd verò fructu, attende; ut videoas Synoditam operosæ inanitatem.

67.
Obiectio
Remon-
strantium.

Primò, inde se Remonstrantes contra Synodi Decreta, in suis assertionibus magis (ut ita dicam) obstinârunt, ac obfirmârunt; non iis solùm cavillationibus usi, quibus olim Ariani contra Synodum Nicænam, & moderni A-catholici contra Tridentinam, eidem parere noluerunt. v. g. Quòd Synodus Libera non fuerit, quòd ipsi non fuerint auditæ, quòd Synodi Patres, partim propriâ animi inductione, partim Principum voluntate præoccupati, anticipatas jam, & deliberatas sententias ad eam tulerint, quæ & his similia posteri

tiori jure poterant adferre, quippe ab illa Synodo durè habiti.

Verum insuper ex suæ Doctrinæ Calvinianæ principiis obliquetabantur Synodo: quod scilicet secundum suam Religionem Reformatam alium judicem controversiarum non agnoscant præter Verbum DEi; ipsi autem jura re sint parati, quod in propugnandis suis dogmatibus solo Verbo DEi, eoque evidenti niterentur. Ad hæc, secundum suæ Religionis principia urgebant libertatem Evangelicam, secundum quam, non debent arctari conscientiæ, sed debet relinquere libertas unicuique in credendo, quod credendum unicuique; juxta Verbum DEi demonstrat, ac fraudet interior spiritus; sibi autem interior spiritum sic fraudere. Taliter discurrebant, & bene quidem juxta religionis suæ principia. Quid ad hos questus Remonstrantium responsum? Auditis Patru sententiis, edixerunt nomine Synodi Remonstrantibus Synodi Praesides: Quandoquidem res auctoritate summi Magistratus agitur, acquiescere debetis: Vestrī Conscientiis non imperamus: relinquatur vobis liberum iudicium privatum; non verò publicum verbo, aut calamo expressum. Vide Sandæum Part. I. Hyd. Holland. I. finivisset.

2. c. 3.

68.

Synodus
decisionē
qualifi-
cat, qua-
nihil de-

Re-

Refle^ct^ete jam animum Lector, & ob-
serva. Ad componendas gravissimas
fidei controversias, & uti utraq; pars
fatetur, fundamentales circa veritates
Religionis, conveniunt ex Anglia,
Gallia, Germania, Belgio primaria Re-
ligionis Reformatæ Capita; Synodus
celebratur, de articulis fidei fit disce-
ptatio, examinatur, quid de iis ē ver-
bo DEi sit sentiendum. Omnibus per-
pensis damnantur sententiæ Remon-
strantium; sententiæ Contra-Remon-
strantium oppositæ, cum aliqua modi-
ficatione, ut veritates Evangelicæ de-
finiuntur, ac ut ab omnibus tenendæ
sub gravissimis pœnis proponuntur, &
promulgantur. Post omnia verò, de-
clarat Synodus, quod nullius consci-
entiam velit restringere, nec ad ea, quæ
definita sunt, acceptanda, tanquam ad
veritates fidei obligare; sed solum, ne
quis verbo, vel scripto contrarium
quidquam publicè doceat; liberum es-
se cuilibet privatim tenere, quod illi
sua dictat conscientia, consequenter
ab iis, quæ definita sunt in Synodo,
salvâ conscientiâ, & fide, liberum esse
recedere.

Ergo ea tantum de Causa tam ope-
rosa Synodus ex tot Religionis Refor-
matæ Proceribus: & Ministris coge-
batur,

batur, ut externæ solummodo paci, & tranquillitati, politicæq; rei, non autem fidei sinceritati, tranquillitati conscientiarum, saluti animarum consuletur: neq; ut constaret fidclibus, quid in præsenti punc̄to, juxta Verbum DEi credendum necessariò sit; sed tantùm ut scirent, quænam eis externè, ita nunc postulante rerum statu, atque ob bonum pacis, quasi politica religionis forma tenenda: cæteroquin videri eas res esse ad salutem indifferentes, cùm teneat quisq; priyato judicio, quod suâ sibi conscientia magis conforme veritati, consulto Verbo DEi, dictaverit.

Ex quo sequitur, quòd, si alia vice recrudescerent illæ controversiæ, prout mutabiles sunt affectus hominum, & factio alia prævaleret, Principes, & Magistratus possint coactâ aliâ Synodo, ita jam postulante publica tranquillitate oppositas assertiones definire velut Verbo DEi consentaneas, addito solùm: *nullam vim inferri consci- 69.*
entiis.

DEus bone! cùm magna illa Conclia Nicænum, Ephesinum &c. Controversias Fidei sub anathemate definiebant, an tantùm id habebant proposi-
tum, quid de Mysteriis fidei exteriùs

Synodè
primiti-
væ Eccle-
siae non sic
proceſſe-
runt.

Sentiendum sit, & non etiam quid interne credendum? quasi vero Spiritus Sanctus, quem Christus promisit Ecclesiae sue. Joan. 14. v. 26. non esset eam docturus omnem veritatem, sed tantum suggesturus, quænam externa religionis forma, aut publicæ doctrinæ ratio, in hac, vel illa conditione rerum politicæ paci conservandæ magis opportuna foret; sive illa interim sit vera, sive falsa, ad salutem conducens, aut contraria saluti, quod vel cogitare impium est, & execrabile.

70.
Fluctua-
tio Syno-
di, & li-
tiganti-
sum.

Vide igitur Lector! quanta hic fluctuatio sententiarum, in re tanti momenti, quanta inconstantia, & perturbatio. Primo enim ipsi Magistratus politici, qui prius impulsi à Remonstrantibus, juxta Verbum DEi, ut dicebant, juxta exemplum aliorum, suæ religionis Principum, earum controversiarū judicium sibi competere pronunciantes, assertiones Contra-Remonstrantium, tanquam DEo injurias, & in Reformatam Religionē contumeliosas pronunciant, & publicè vertant: deinde mutato affectu, eadem suprema autoritate, easdem assertiones tanquam Verbo DEi consentaneas, ab animarum Pastoribus publicè docendas, defendendásq; definiunt, ipsos;

ipsosq; Remonstrantes cum suis sententiis, quas prius Verbo DEi conformes definiverant, damnant, persecuntur, & nisi conditionibus durissimis sibi propositis subicribant, prescribunt, atq; relegant. Neq; enim tantum Synodus, ut habet ejus Præfatio, iussu, & authoritate ordinum Hollandiæ congregata est, sed etiam nutu, & mandato directa; unde illud assiduum est in actis Synodi: *Sic mandarunt Ordines &c.*

Quid hic Contra-Remonstrantes? nimis jam Magistratus Politici, cui antea scripto acerbō, negaverant competere autoritatem ullam in hac parte, ejusdem, inquam, Magistratus Decreta, Synodi nomine vestita, ac subornata, ut Evangelicas veritates suscipiant, & exosculantur. Econtra Remonstrantes, qui antea Magistratum politicum pro summo causarum fidei judice acceptaverant, jam se videntes ab eo Synodi operâ damnatos, ejusdem, & Synodi iudicium, ut incompetens rejiciunt, testanturq; se nullum controversiarum judicem admittere, præter Verbum DEi.

In eo deniq; convenit utraq; pars litigantium, quod dicat: *Verbum DEi, solum in iacris literis expressum, esse regulam,*

71.
Inconsti-
tia litio-
gantium.

72.
Reforma-
ti per Sy-
nodos co-
troversias.

as deci- lam, & normam fidei; Spiritus Sanctus ve-
dere non rō, illuminans corda electorum, testificatur
possunt. de veritate, o Sonans eam in animis ipsorum.

Duo allegantur: Scriptura, ut Regula
fidei, & spiritus interior veritatem in
cordibus obsignans. Sed cum utraq;
pars, utrumq; pro se alleget, nimirum,
se sequi Scripturam sacram, & habere
pro se testimonium internum Spiritus
Sancti; quamdu ad hæc nullus acce-
det judex legitimus, qui de legitimo
Scripturæ sensu, & spiritus interni si-
ceritate sententiam ferat modus non
est, ut controversiæ finis imponatur, &
Ecclesiæ sincera pax reddatur: Jam
juxta Reformatos Synodus non potest
esse talis judex, qui tenent, non eo ipso
esse Scripturæ interpretationem verā,
quod fuerit sic à Concilio explicata,
& recepta, sed Concilii definitionem
adhuc examinari possad Verbi Divini
regulam, à quovis privato fideli, do-
cto, indocto, Viro, Muliere; quam si
judicet per privatum spiritum minus
consentire cum Verbo DEI, salva fide
possit Concilii definitionem rejicere.
Ergo etiam post Synodum apud Refor-
matos, perinde manent omnia incer-
ta, & controversa, ac ante illam erant.

73. Ad extremum manifestum est, in to-
Etiam bis to negotio recurrere Circulum vitio-
sum,

sum, dum pro fidei veritate dignoscenda, à spiritu singulorum privato provocatur ad Synodum, & ab hac singuli remittuntur ad spiritum privatum.

Dicunt, de sua privata religione judec^{74.}
dex est unusquisq;; de Ecclesiæ fide statuit Ecclesia. Contra est, tam ineptè id affertur, ac si diceretur, quod alia sit fides membrorum, alia corporis. Apostolus aperte denunciat Ephes. 4. Christum posuisse in Ecclesia Pastores, Doctores, &c. qui ita Corpus Christi, quod est Ecclesia, ædificant, ut tandem occurramus omnes (id est universè singuli) in unitatem fidei, &c. & non circumferamur omni vento doctrinae.

Ad hæc ; vel fides, quam sibi statuit Ecclesia, est certa , & infallibilis , vel dubia, atq; fallax? si dubia , & fallax ; ergo hoc ipso non erit Ecclesia DEi, quæ debet esse Columna & Firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. v. 15. si vero est certa , & infallibilis ; ergo non sunt permitti singuli privati suam sibi fidem ex proprio spiritu fabricare , cùm clarum sit , eam futuram falsam , si fuerit Ecclesiæ fidei contraria.

CAPUT XV.

Summa doctrinæ Acatolicorum

de Regula fidei.

75.
 In consta-
 tia Acathe-
 licorum. **P**rimò dicunt, nihil se credere, vel
 credendum proponere, nisi quod
 est disertè expressum in sacra Scriptu-
 ra. Secundò, dum hīc non subsistunt,
 deflectunt ad consequentias legitimas,
 & evidenter ex sacra Scriptura dedu-
 cetas. Tertiò, à consequentiis, confu-
 giunt ad implexam fidei Analogiam,
 ipsa vocabuli obscuritate rem invol-
 ventes, & nihil satis certi determinan-
 tes. Quartò, Spiritus privatus est il-
 lis norma proxima, applicans rebus
 credendis ipsam regulam credendi, sive
 Scripturam sacram ; isto volunt dis-
 cernere sensum verum scripturæ à fal-
 so, consequenter credenda à non cre-
 dendis. Recurrunt ad Magistratus se-
 culares, celebrant Synodos, & Conci-
 lia, eorumque definitionem : demùm
 subjiciunt spiritui privato examinan-
 dam, fluctuantes in omnibus, nec ha-
 bentes, ubi pedem figant ; Reipsa ta-
 men pro regula fidei habent sua præoc-
 cupata judicia, quibus perperam ac-
 commodant divinarum scripturarum
 interpretationem, non vero judicia
 sua subjiciunt Scripturis sacrjs. Moles
 tota Religionis eorum similis est sta-
 tuæ, quam vidi in somniis Nabucho-
 donosor, ut quæ dici potest, quod ca-
 put

put videatur habere aureum, puta speciosum prætextum reformationis Ecclesiæ, puritatem Evangelii &c. pedes autem fictiles, hoc est sensa, ac inventa humana, pro Divihi spiritu persuasione falso obtrusa. Adde articulum primarium Acatholicorum: *hominem justificari per solam fidem*; quid aliud, quam sacræ, & divinæ doctrinæ eversionem, ac scelerum omnium lutum deprehendes; si enim recte attendas, spiritus quidem privatus, omnis erroris, & hæresis Cœca latebra est; justitia autem solius fidei, omnis nequitia prostibulum, & spurcitiæ volutabrum.

CAPUT XVI.

*Ecclesiæ Catholice in fidei causa
procedendi ratio.*

Modus procedendi Ecclesiæ Ro-
mano-Catholice est rationi
consentaneus, simplex, ac genuinus,
prudentiæq; Christianæ conveniens.
Catholici enim illinc Divinæ poten-
tiæ supereminenter excellentiam,
hinc humanæ intelligentiæ imbecilli-
tatem attentes, ubi DEum aliquid
in Scriptura sacra revelâsse constat,
continuò sensum suum omnem, supre-
mæ ejus authoritati submittentes ac-

76.
*Ecclesiæ
procedit
sapienter.*

ceptant, creduntq; esse possibile, quid-
quid ex adverso humana ratio, sibi re-
licta obstrepat; perswasum habentes,
quod DEus plura possit facere, quam
homo possit intellectu capere; quod

77. major sit DEus corde nostro. I. Joan. 3. v.

*Non ful- 20. Aemulari studentes illam cœlesti-
cit Verbu- um animalium obedientiam, de qua
DEi hu- scriptum est. Ezech. I. v. 25. Cum fie-
mano sen- su. ret vox super firmamentum, quod erat super*

*Caput eorum, stabant & submittebant alas
suas. Quod si quæ occurrat super le-
gitimo sensu scripturæ gravis dubita-
tio, non privato spiritui, aut judicio
confidunt, sed exquirunt sensum, &
Traditionem à Temporibus Apostoli-
cis ab Ecclesia, cum sciant, & credant,
eam nec falli, nec fallere posse, cum sit
juxta Apostolum, columna & firmamen-
tum veritatis. I. Tim. 3. v. 15.*

Nec per hoc, ut nobis ineptè objici-
tur, derogamus Verbo DEi, quasi verò
illud incertum haberemus, donec ab
hominibus accipiat quasi precariò cer-
titudinem. Nam & ipsi Reformati, qui
sibi attribuunt spiritum privatum in-
terpretandi scripturas, homines sunt,
& tamen per Reformatos ad horum
spiritum recurriendo non derogatur
juxta eorum doctrinam Verbo DEi;
longè igitur minus recurriendo ad Ec-
clesi-

clesiam, de qua certum est, quod habet
at Spiritum DEi, vel ad ejus Pastores in
universali Concilio Ecclesiam repræ-
sentantes, cum Ecclesiæ DEi, & non
spiritui privatorum, Deus promiserit
spiritum suum, & eam constituerit *co-*
lumnam & firmamentum veritatis. I.
Tim. 3. v. 15.

Absit: ut dicamus, vel teneam⁹, Ver-
bum DEi fulciri humano subsidio, nam
ut dixi, ubi evidens est Verbi DEi sen-
sus, ei sine mora subjicimus nostram
humanam intelligentiam; ubi autem
incertus, & perplexus est, cum tunc nō-
dum perfectè nobis loquatur Deus, re-
currendum ad eos est, quos Verbi sui
constituit interpretes, qualis nobis
est Ecclesia. Ecclesiæ declaratione
accedente, pari obedientiâ subjicimus
nos Verbo DEi, in sensu ab Ecclesia de-
clarato, ac proposito.

Qua proinde ratione non fulcit Ec-
clesia Verbum DEi, quasi ei authorita-
tem tribuens, sed tantum id efficit, ut
nobis jam constet, DEum nobis isto
sensu loqui; quo proposito, ei, ut à
DEo profecto fidem habemus, non
propter humanam Ecclesiæ authori-
tatem, per se præcisè sumptam, sed
propter divinam reyelationem nobis
Ecclesiæ Ministerio manifestatam. Si-

cut dum DEus nobis loquitur per Prophetas, non credimus, ob Prophetæ loquutionem præcisè per se sumptam, sed credimus ob locutionem DEI, nobis per locutionem Prophetæ manifestatam. Quod verò manifestationem loquutionis divinæ potius ab Ecclesia, quam à privato alicujus spiritu accipiamus, convenientissimum est, cum illam constet nobis ex Scriptura esse Columnam veritatis, non verò spiritum alicujus privatum; Illi potius credimus dicenti, quod hoc, illudve, hoc, vel illò sensu loquatur DEus, cum Columna veritatis falsum dicere non possit, possit verò spiritus privatus, uti patet in Prophetis falsis, qui putantes se loqui Verbum DEI, loquebantur Verbum erroris, juxta Ezech. Ait Dominus, cum ego non sim loquutus C. 13. v. 7.

78.

*Ajudicio
Acatholi-
corum ap.
pellamus
ad Eccle-
siam.*

Ad hominum ergo Judicia non recurrimus à sacra Scriptura, uti nobis falsò objicitur; hoc enim tunc solum verum esset, si ubi de Scripturæ sensu constaret, eò neglectò, contrà sentiremus, propter contrariam Ecclesiæ, vel Patrum autoritatem, quod nunquam facimus, nec Ecclesia, vel Patres id à nobis petunt. At ubi sensus Scripturæ dubius est, aut Controversus, ad Patres, aut Ecclesiæ sensum, recurren-

tes,

tes, non provocamus ad judicia hominum à Scripturis sacris, sed à vobis, qui vos inaniter jaſtatis esse præditos spiritu DEi ; ſupponimusq; Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ judicium immenſe prævalere judicio veftro præoccupato, & veftris interpretationibus , quas detorquetis ad fensum veftrum.

CAPUT XVII.

De Traditionibus.

Nomine Traditionis generaliter intelligitur Doctrina , ſive ſcripta, ſive non ſcripta, quæ ab uno communicatur alteri. Utì etiam Paulus dicit : *Tenete Traditiones quas didicistis,* 79.
Quid &
quotu-
plex fit
Traditio- *ſive per Sermonem , ſive per Epistolam noſtram. 2. Thes. 2. v. 14.* Communiter verò à Theologis intelligitur tantum *doctrina non ſcripta*, uni ab altero comunicata. Vocatur autem *doctrina non ſcripta*, non quod nullib[us] ſcripta fit, ſed quod non fit ſcripta à ſuo primo au- thore .

Sunt autem Traditiones triplices : Primò Divinæ, & ſunt dogmata à DEo revelata, quæ tamen ſcripta non ſunt, v. g. Trium SS. Trinitatis personarum æqualitas. Quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ut ab uno principio pro- cedat,

cedat, &c. Secundò Apostolicæ, quæ ab Apostolis institutæ sunt, non tamen sine assistentia Spiritus Sancti; nihilo minus non exstant scriptæ in eorum Epistolis; & hæ sunt Apostolicæ propriè tales. Solent autem etiam divinæ Traditiones dici Apostolicæ, quod ab eis primùm Ecclesiæ traditæ sint, cùm Ipsi seorsim eas à Christo accepissent. Et vicissim Apostolicæ Traditiones dicuntur divinæ, non quod eas Deus immediate instituerit, sed quod illas instituerint Apostoli cum assistentia Spiritus Sancti. Taliter Epistolæ Apostolorum dicuntur divina, & Apostolica scripta. Tertiò Ecclesiasticæ sunt, quas Apostolorum successores induxerunt.

80.
Dignoscuntur Traditiones.

Porrò illæ Traditiones habendæ sunt pro divinis, quas accepit semper pro talibus Ecclesia, quas acceperunt Apostoli à Christo docente, nec tamen sunt in Scriptura expressæ, v.g. Tot esse sacramenta; Item ea, quæ spectant ad materiam, & formam sacramentorum; pauca enim de his habeamus, in Scriptura, & tamen certum est, materiam & formam sacramentorum non potuisse nisi à Christo institui. Illæ propriè habendæ pro Apostolicis, quæ fidem non concernunt, & tamen ab Universa

versa Ecclesia temper sunt retentæ, nec ab aliquo Concilio institutæ. v. g. De Jejunio Quadragesimali; & 4. Temporum. Quod à jejunis sit sumenda Eucharistia. Pro Ecclesiasticis illæ demum habendæ, quæ ab aliquo Concilio, vel Pontifice post Apostolica tempora originem duxerunt. v. g. Ecclesiæ, sacra vasæ, altaria benedici debere. &c.

Satis quidem constat ex decursu o-
pusculi, in Scriptura sacra non conti- ^{81.}
neri expressè totam Doctrinam neces- *Necessa-*
fariam sive de fide, sive de moribus, ac *riò ad-*
proinde præter Verbum DEi scriptum, *mittens-*
requiri etiam Verbum DEi non scri- *da.*
ptum, id est: Divinas & Apostolicas
Traditiones: Hic tamen rationes hu-
jus argumenti congero plures.

Primò si Traditiones tollas, nec de
Scriptura sacra tibi constare potest,
quod sit Verbum DEi, uti suprà dictum
copiosè. Item non poterit constare
de Scripturæ sensu; si enim auferatur
Traditio, nulla ferè est sententia Ve-
teris Testimenti in Hebræo tam aper-
ta, quæ non possit verti in varios, imò
impios sensus. Exemplum esto in pri-
mo versu Genesis Capite primo, qui
juxta vulgatam nostram est perspicu-
us, sed juxta Hebræam varius: *In prin-*
cipio

cipio creavit DEus (succidit , destruxit ,
 renovavit , elegit Cœlum , divinavit de
 Cœlo , creatus est ex hoc Cœlo , & hac
 terra) Rursum Creavit DEus (créarunt
 falsi Dii , Angeli , Magnates , sive Judi-
 ces) Cœlum & terram , oritur hæc va-
 rietas tum ex varia , & multiplici signi-
 ficatione eorundem verborum , ex ver-
 borum in eadem , vel diversis conjuga-
 tionibus , contraria significatione ; ex
 maxima similitudine quarundam lite-
 rarum , distinctionum , & punctorum
 dissimilium commutatione inter se :
 tum ex eo , quod sæpe subaudiantur &
 omittantur non tantum litteræ , sed
 etiam integræ dictiones , quod sæpe
 redundant tam literæ , quam dictiones .

Secundò : cùm fides nitatur , & pro
 motivo habeat loquitionem , seu re-
 velationem DEi , & constet , quod DE-
 us non tantum per suorum Amanuen-
 sium , seu scribarum Calamum loquu-
 tus sit , qui voluntatem suam olim pri-
 mis Parentibus , ac Patriarchis per An-
 gelos manifestavit : populum quon-
 dam suum per os Prophetarum instru-
 xit , ac increpuit , minisq; terruit ; cut-
 non etiam per unicam IESU Christi
 Sponsam Ecclesiam , quæ ejus præsen-
 tiam habet usq; ad consumationem seculi .
 Matt. 28. v. 20.

Quæ ab eo animatur, docetur, gubernatur, quam spiritus veritatis docet omnem veritatem. Jo. 16. v. 13. Quam Apostolorum, & Discipulorum suorum vocali prædicatione docuit, cur inquam voluntatem suam non posset per Ecclesiam indicare?

Tertiò: In Veteri lege Ecclesiam suam DEus vocali Traditione Patrum ad filios gubernavit, non verò Verbō scriptō; & Fides in Veteri Lege erat, ergo ad Fidem traditum Verbum DEi sufficit. Antecedens clarum est; Gen. 18. v. 19. dicitur: Scio enim quod præcepturus fit filius suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium & justitiam.

Quæ rogo mandata ab Abrahamo posteris dari poterant, nisi vocali Traditione accepta? cùm usq; ad Moysen posteriorem Abrahamo Ecclesia sine Scriptura fuerit; Nam Moyses primus in Scripturam redegit DEi Verbum. A Moysè iterum ad Christum Judæis solum concessa fuit Scriptura sacra, cùm tamen etiam extra Judæos alii fuerint fideles, ut clarum est in Job, & amicis ejus.

Quid quod Judæi sèpius Traditione, quæm Scripturâ utebantur? Exod. 13. v 8. & 14. Narrabisq; Filio tuo, in die illo,

82.
*In Veteri
Lege Tra-
ditionum
usus.*

illo, dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Aegypto. v. 14. Cumq; interrogaverit te Filius tuus cras, dicens: quid est hoc? respondebis ei: in manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo servitutis. Judic. 6. v. 13. Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres nostri, atq; dixerunt: Psal. 43. v. 1. DEUS auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciauerunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Psal. 77. v. 6. Quanta mandavit Patribus nostris, nota facere ea filii suis, ut cognoscat generatio altera. Filii qui nascuntur & exurgent, & narrabunt filii suis, ut ponant in DEO spem suam. Eccl. 8. v. 11. Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Certè usq; ad Esdræ tempora nondum erant Scripturæ sacræ in librorum formam redactæ, ut commodè haberí possent, multumq; interdum temporis in illis inveniendis insumebatur; quod patet ex 4. Reg. 22. v. 13. & 8. In Lege veteri igitur magis Ecclesia gubernabatur Verbo DEi tradito, quam scripto.

^{82.}
In Lege
Nova.

Quartò: In Nova Lege post Christi Domini Ascensionem non statim scripta sunt, quæ continentur in Evangelio,

lio, & tamen credebantur. S. Irenæus, qui vixit Año Christi 150, scribit, ad-
huc suo tempore quasdam Nationes
Christianas extitisse, quæ Christianè
vivebant, & in omni justitia, per solam
veterem Apostolorum Traditionem
conversarentur. Sicut ergo in Lege
veteri, antequam Prophetarum scripta
extitissent, fides extitit, & solum Ver-
bum DEi traditum sufficiebat; ita in
Lege nova antecesserunt Traditiones,
& priores erant, quam scripta Evange-
listarum & Apostolorum. Ex Evan-
gelistis, & Apostolis accipe aliqua ad
fidem, & autoritatem traditionibus
conciliandam, & primò quidem gene-
ralia.

*Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi
sicut Ebnicus & Publicanus. Matth. 18.
v. 17. Et ecce ego vobiscum sum omnibus
diebus usq; ad consummationem seculi. Matt.
28. v. 20. Qui vos audit, me audit: &
qui vos spernit, me spernit. Luc. 10. v. 16.
Deutr. 17. v. 8. & 12. jubet Deus fi-
deles in rebus judicatu difficultibus ad
Sacerdotes Leviticos, & judicem illi-
us temporis accedere, ad veritatem
percipiendam, ac eorum sententiā ita
sequi, ut qui per superbiā noluerit ob-
edire, morte moriatur. Quō igitur
majori animi sensu accipienda Christi*

verba nos dirigentis ad suam Ecclesiā, cuius solum umbra, & Figura erat Synagoga. Si audiendus erat Christus, tunc, cūm de Legis Mosaicæ statu adhuc verba faciens, dixit: Super Cathedram Moysi, sederunt scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumq; dixerint vobis, servate, & facite. Matt. 23. ¶ 2. Certe similiter audiendus est, dum Apostolos circa administrationem, & Gubernationem Ecclesiæ edocens, iis, eorumq; successoribus ait: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Matt. 10. ¶ 20. & alibi: Amen dico vobis, quæcumq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo. Matth. 18. ¶ 18. Alias majorem authoritatem haberet Judaica Synagoga, quam Christi Ecclesia. Hæc sunt generalia, quæ ostendunt Ecclesiæ authoritatem, & potestatem in regimine fidelium. Accipe alia:

Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cūm autem veneris ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Jo. 16. ¶ 12. Ecclesiam ergo Spiritus Sanctus docet omnem veritatem, ergo illa decipi, vel decipere non potest. Docet illam omnem veritatem, ergo in illa error nullus esse potest, alias non doceret omnem veritatem;

nec

nec enim omnis veritas cum aliquo errore stare potest, Ecclesia ergo nec loqui, nec præcipere potest quidquam aliter, quam secundum veritatem.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESUS; quæ scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Joan. 21. v. 25. Et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de regno DEI. Act. 1. v. 3. Hæc certè Apostoli, Ecclesiæ communicârunt, non coñunicârunt autem per Scripturam, ut clarum est, ergo per Traditionem; nec enim censendi sunt fuisse tamen obliviosi, ut ea non potuerint Ecclesiæ coñunicare, multò minùs tam invidi, ut noluerint.

Accipe & ea, quæ Paulus ait: *Laudo vos Fratres, quod per omnia mei memores esis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* 1. Cor. 11. v. 2. 23. 34. Cùm præcepta de quibus agit, spectantia ad orandi, & Sacro-sanctam Eucharistiam sumendi modum, non inveniantur ullibi scripta, admitti debet Verbum non scriptum; quod clariùs patet ex eo, quod in fine adjungit: *cætera autem, cum venero, disponam,* 1. Cor. 11. v. 34. nullibi enim scriptum est, quid

❧ 100 (❧)

ipse disposerit. Unde optimè infer-
tur, Apostolum Corinthiis multa præ-
cepta non scripta, sed Traditiones de-
disse.

Accipe adhuc clariora. Itaq; Fratres
state: & tenete Traditiones, quas didicistis,
sive per sermonem, sive per Epistolam no-
stram. 2. Thes. 2. v. 14.

Deniq; 2. Joan. Ep. conclusionem:
*Plura habens vobis scribere, nolui per char-
gam & atramentum; spero enim me futu-
rum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium
Vestrum plenum sit.* Unde justè conclu-
dere debemus, Apostolos multa docu-
menta non scripta dedisse discipulis,
& per eos toti Ecclesiæ communicata,
& tradita fuisse.

Calvinistæ in aliquibus editioni-
bus Bibliorum locò *Traditio*, ponunt
documenta, sed facile confutantur, &
convincuntur; si Editiones antiquio-
res Græcæ, & Latinæ inspiciantur. Quæ
autem objiciunt Acatholici, sunt vel
contra Traditiones humanas Verbo
DEi contrarias, quas Catholica Eccle-
sia damnat; vel certè ubi dicitur in
Novo, vel Veteri Testamento, non ad-
dideris, intelligitur tanquam à se dictum,
alias cum Joānes post Apocalypsin scri-
pserit Evangelium, seipsum damnasset.
Similiter ubi in Veteri Testamento di-

cuntur ex voces, non debuissent addi post illas alii Libri, & Novum Testamentum. Paulus autem dum dicit: *Licet vos Angelus Evangelizaverit &c.* non dicit de Verbo scripto, alias scipsum damnaret, cum aliquas epistolas tardius scripserit.

CAPUT XVIII.

An Acatholici aliquas Traditiones admittant?

Respondetur; Acatholici admit-

tere Traditiones. Ubi enim scri-

pta est Trium Personarum SS. Trinita-

tis æqualitas? ubi scriptum, Spiritum

Sanctum à Patre, & Filio, ut ab uno

principio procedere? ubi peccati ori-

ginalis remedium pro masculis Veteris

Testamenti ante diem octavum, quō

solo circumcidisti poterant, vitâ functis?

Ubi remedium peccati Originalis pro

fœminis ejus Temporis? ubi scriptura

de salute Gentilium, qui veteris Legis

tempore vivebant, cum etiam alii à Ju-

dæis distincti, fuerint fideles, ut Job,

& Amici ejus. Ubi scriptura, quæ præ-

cipit Sabbathi Judaici cum Die Domi-

nico permutati celebrationem? Ubi,

quæ præcipit Pascha celebrari die Do-

mifica, vel quæ præcipiat celebrari

84.
Acatholici
admit-
tunt tra-
ditiones.

Festum Nativitatis Domini; vel Diem Pentecostes? Ubi scriptura declarans, quot sint Sacra menta? Ubi scriptura declarans, quod tot sint Libri Canonici, & hi quidem praे aliis? Ubi, quod Symbolum, quod vocamus Apostolorum, re ipsa composuerint Apostoli? Ubi scriptura, de perpetua Immaculatæ DEi Matris Virginitate? &c.

Quod objicit Acatholicus contra Traditiones, applicet sibi aliquam ex supra citatis, & argumentum sibi solvat.

CAPUT XIX.

De Ecclesiæ stabilitate, infallibilitate, & visibilitate.

85.
Quid sit
Ecclesia.

Nomine Ecclesiæ intelligitur collectio fidelium, qui veram Christi Fidem profitentur ubivis terrarum. Sumitur vero Ecclesia quandoq; particulariter, verb. grat. Ecclesia Claudiopolitana, Albensis, Constantinopolitana &c. Ecclesia Galliæ, Germaniæ, Hungariæ &c. quæ omnes simul sumptæ constituunt unam Universalem, quatenus eandem habent fidem, eundem authorem, eadem Sacra menta, idem Caput. Aliquando Concilia Episcoporum, aliquando Caput Ecclesiæ

siæ in iudicio causarum fidei dicuntur Ecclesia, quia Ecclesiam repræsentant; sicut Primores Regni in Comitiis congregati; a' iquando verò Rex in iudicio Causarum Regni, vocantur Regnū, quia Regnum repræsentant.

Ecclesia deficere non potest; quia, *Est Regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Dan. 2. v. 44. *Est Civitas fundata in aeternum.* Psal. 47. v. 9.

Sed nec errare potest Ecclesia; quia. 86.
est columnæ & firmamentum veritatis, Ecclesia
 1. Tim. 3. v. 15. quia est Sancta, ut do-
 cet Symbolum Apostolorum; si autem ^{stabilis &}
 erraret, Sancta non esset, siquidem do-
 ceret falsa, & impia. Quia adversus Ecclesiæ
 Christi Portæ inferi non præ-
 valebunt. Matt. 16. v. 18. Prævalerent
 verò, si in errorem incideret. Quia si
 ecclesia erraret, erraret Christus, & Spi-
 ritus Sanctus, jam Doctrina Ecclesiæ,
 non tam sit Ecclesiæ, quam Christi, &
 Spiritus Sancti. *Qui vos audit, me audit.*
 Luc. 10. v. 16. *Spiritus Sanctus docebit*
vos omnia. Joan. 14. v. 26. *Visum est Spi-
 ritui Sancto, & nobis.* Act. 15. v. 28. *Ver-
 bamea quæ posui in ore tuo, non recedent de
 ore tuo,* &c. *amodo usq; in sempiternum.*
 Isaïæ 59. v. 21. deniq; exponeret nos
 Deus periculo peccati, jubens nos o-
 bedire Ecclesiæ, si illa esset fallibilis.

27.
Ecclesia
Christi vi-
sibilis.

Est Præterea Ecclesia Christi visibili-
lis, quidquid Acatholici somnient,
dum dicunt, duplicem esse Ecclesiam,
unam *Vocatorum*, conflatam ex bonis, &
malis, ovibus, & hædis, quām dicunt
visibilem; aliam *Electorum* invisibilem,
quæ constat ex solis prædestinatis, &
justis. Est, inquam, Ecclesia Christi in
terris visibilis, nam,

1mo. Ecclesia Christi est *Lux Mundi*,
Civitas in monte posita. Matt. 5. v. 14.
Omnes qui viderint eos, cognoscent illos,
quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus
Isa. 61. v. 9.

2do. Est visibile Corpus Christi; vi-
sibles enim erant, quibus dixit Apo-
stolus: *Vos estis Corpus Christi*, 1. Cor. 12.
v. 27. Ecclesia autem est Corpus Chri-
sti. 1. Cor. 12. v. 14. Col. 3. v. 15. Ergo

3ti. Ecclesia debet à nobis audiri,
consuli, adiri, Matt. 18. v. 17. *Dic Ee-
clesiæ, si autem Ecclesiam non audierit Dc.*
Si autem invisibilis est, qualiter potest
audiri, adiri, consuli? Item, invisibili-
bus qualiter prædicabitur Verbū DEi,
qualiter Sacra menta ad ministrabun-
tur.

4to. In qua Ecclesia indicuntur Con-
cilia, deciduntur quæstiones fidei, pu-
niuntur peccata, illa est visibilis, sed
hæc sunt in vera Christi Ecclesia, er-
go.

ste.

stò. Salus Gentilibus, & Judæis debet esse possibilis; at non erit possibilis, si Ecclesia non sit visibilis, quia Salvatori non possunt, si non sint in Ecclesia, quomodo autem possunt esse in Ecclesia, si nesciant, ubi sit, si eam non videant.

88.

Hinc falsè dicunt Acatholici, quod Ecclesia Christi primis quinq, seculis quidem fuerit visibilis, deinde verò facta sit invisibilis, ut mille amplius annis latuerit, nec pura fidei doctrina publica uspiam reperta sit, licet apud Iustos, & prædestinatos pura fides fuerit, quam tamen illi metu Antichristi, id est, ut dicunt, Papæ Romani prodere non sint ausi; id, inquam, falsum est. Nam.

Figmenum de invisibiliitate Ecclesie.

1mò. Hoc modò Christi Ecclesia à fide defecisset, quod est impossibile, ut dictum est N. 86.

2dò. Quia tali casu impossibile fuisset Judæos, & Gentiles salvati, nam non potuissent reperire, à quibus de vero DEi cultu instruerentur.

3tiò. Quia Ecclesia Christi est sancta, non fuisset autem sancta, si tot annis non fuisset ausa fidem promere, quam promere tenebatur. Nam: *qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet.* Luc. 9. v. 26.

4to. Illa est visibilis Ecclesia, quæ continet bonos, & malos, ut Adversarii fatentur, sed hæc durabit usq; ad finem mundi, juxta illud Christi: *Sinite utramque crescere usq; ad Messem.* Matth. 13. ¶ 30. Ergo falsum est, aliquando Ecclesiam esse invisibilem. Est Ecclesia Regnum Cœlorum simile sagenæ missæ in mare bonos, & malos pisces continenti, *2dūm* Matth. 13. ¶ 47.

5to. Non potest assignari tempus, quando Ecclesia cœperit esse invisibilis: Aliqui dicunt circa tempus Gregorii Magni; at, assignent dogma, quod tunc cœpisset esse in Ecclesia, quod antea non fuerit?

6to. Si mille annis Ecclesia Christi vera non fuit visibilis, ergo mille annis Ecclesia non fuit Mons in vertice Montium, Civitas in Monte posita, Tabernaculum in sole, Regnum, Sponsa, Corpus Christi, neq; tunc Pastores cognoverunt Oves suas, neq; Oves suos Pastores, neq; potuerunt celebrari Concilia, nec vera Ecclesia audiri, adiri, consuli; quæ omnia sacræ Scripturæ contraria sunt.

89.

*Caput Ec-
clesia ne-
cessarium
et.*

CAPUT XX.

De Capite Ecclesiæ.

Christus Dominus abiturus in Cœlum,

Iumi, vices suas in regimine Ecclesie commisit certo alicui homini, à quo omnes Ecclesiarum Rectores dependent. Ratio est: quia voluit Ecclesie sue providere de optimo Regimine, tale autem est Monarchicum, quod unus administrat. Secundò, quia Ecclesia est unum ovile, una domus, unum Regnum, unus exercitus, unus corpus; i. Joan. 10. v. 16. 1. Tim. 3. v. 15. Dan. 2. v. 44. Cant. 6. v. 3. 1. ad Cor. 12. v. 13. Unius autem Ovulis, unus est Pastor, unius Domus, unus Paterfamilias, unius Regni, unus Rex, unius Exercitus, unus Imperator, unus Corporis, unum Caput. Tertiò, Synagoga habuit unum Caput externum Aaronem, Eleazarum, Phinees &c. Ergo & Ecclesia, cuius figura erat Synagoga. Quartò, quia aliás non posset unitas fidei conservari, vel fides aptè propagari, ad minus tam facile. Hinc Sanctus Hieronymus Libr. 1. in Jovin. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.*

Has autem vices non demandavit alicui Lajco Principi, vel Magistratui, quia Spiritus Sanctus, Act. 20. v. 28. Non Herodem, vel Tyberium posuit, Sed Episcopos regere Ecclesiam DEI. Item

90.
Non Laj
cus.

Apo-

Apostolus enumerans, i. Cor. 12. v. 28. Primores Ecclesiæ, non meminit Magistratūs Lajci, sed Apostolorum, Prophetarum, Doctorum. Item Eph. 2. v. 20. dicitur Ecclesia ædificata supra fundamentum Apostolorum, non Regum, aut Lajci Magistratūs.

Demandavit ergo, & commisit vices suas Petro, probatur id

91. Primò ex illo Christi: *Tu es Petrus,*

Sed Apo- super hanc Petram ædificabo Ecclesiam me-
tolus Pe- am. Matt. 16. v. 18. Ubi per Petram

Concilia, & Sancti Patres, etiam Augustinus Serm. de Cathedra Petri, significari volunt Sanctum Petrum. Et revera Petrus intelligi debet, uti patet

92. Promissio à simili; si enim quis dicat: *Tu es Ful-*
nes Chri- gentius, hoc Fulgore fulgebit mundus, ne-
sti Petro modabitur, quin per Fulgorem intel-
ligatur Fulgentius. Patet secundò ex

textu Syriaco, ubi dicitur: *Tu es Kepha,* id est rupes, & super hoc Kepha, id est, hanc rupem ædificabo Ecclesiam meam. Latinus autem prius Kepha vertit Petrus, quia Petrus ad significandum hominem aptius erat, quam Kepha. Græcè verò Πέτρος, & Πέτρα lapidē significat. Tertiò, quod per Petram intelligatur Petrus, patet ex antecedentibus, & consequentibus, quæ in illa loquutione Christi Domini respiciunt

Petrum; sensus enim Verborum Christi est: Quia tu Simon Bar-Jona, sive filius Jonæ, me confessus es Filium DEi, ideo ego dico Tibi: quia tu es Petrus, & supra hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Quam dignitatem Petrae seu fundamenti Petrus accepit ob meritum fidei, quâ confessus est Christum esse Filium DEi; sed etiam Coniunctio & vanè adderetur, quâ conjungitur Petrus cum hoc super hanc Petram nec super Petrum caderent Verba subsequentia: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* Si per Petram non intelligeretur Petrus. Jam sic formatur argumentum: Ecclesia Christi fundata est super Petram seu Petram, ergo Petrus fuit Ecclesiæ fundamentum; sed fundamentum communitatis & multitudinis est ille, qui præest, sicut fundamentum familiæ Paterfamilias. Ergo. Est verò Petrus fundamentū secundarium in Christo fundatum, juxta illud Esaiæ 28. v. 16. *Ecces ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.*

Probatur secundò ex verbis, quæ subsequuntur: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, id est Ecclesiæ; quæ est Regnum Spirituale, & quodammodo Cœlorum. Quia in Cœlum, tanquam finem suum*
ten-

rendit. Per Claves autem intelligitur potestas gubernativa Ecclesiæ, uti colligitur ex praxi; tunc siquidem alicui censetur tradi potestas regendi Urbē, Arcem, Collegium &c. dum traduntur ejus Claves: tūm quia Claves in Scriptura passim significant Principatum. *Dabo clavem domus David super humerum ejus*, Isa. 22. v. 22. id est regimen regni David. *Sanctus & verus qui habet clavem David*. Apoc. 3. v. 7. id est principatum Ecclesiæ. Item colligitur ex eo, quod additur: *Quodcumque solveris &c. quodcumq; ligaveris &c.* quibus datur Petro potestas, pro toto mundo, tum solvendi à vinculis, quibus prohibentur à regno Cœlorum, tum quoscunque ligandi per Leges, censuras, &c.

^{93.}
Institui-
tur Rector Pasce oves meas. meas, non has, aut illas,
uniuersa- sed quotquot mæ sunt, id est, univer-
tis.
Pasce, id est rege; Pascere enim
Phrasí Scripturæ, idem est, ac regere.
Isa. 44. v. 28. Ps. 77. v. 71.

^{94.}
Preroga-
tiva Petri. Probatur, quartò ex variis indiciis,
& prærogativis Petri; quarum prima
est, quod Christus Dominus illi No-
men mutaverit: *Vocaberis Cephas*. Joan.
1. v. 42. id est lapis. Quō nomine et-
iam Christus Dominus sæpe in Scriptu-
ris

ris appellatur Psal. 117. v. 22. Dan.
2. v. 34. Matth. 21. v. 42. ad Rom. 9.
v. 33. 1. Cor. 10. v. 4. ad Eph. 2. v.
20. 1. Petr. 2. v. 7.

Secunda prærogativa, quod in Apostolis enumerandis, Scriptura primum locum soleat Petro tribueret, ut Matt. 10. v. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec: Primus Simon, qui dicitur Petrus. Marc. 3. v. 16. Luc. 6. v. 14. Act. 1. v. 13. Imò nobis depingit illum interdum velut aliorum Apostolorum Patrem, Caput, ac Principem, & velut in proprio seorsum gradu constitutum. Marc. 1. v. 36. Et prosequutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Marc. 16. v. 7. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, qui a præcedit vos in Galilæam. Luc. 8. v. 45. Dixit Petrus, & qui cum eo erant. Luc. 9. v. 32. Petrus verò, & qui cum illo erant, &c. Act. 2. v. 14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & loquuntur est ei. Act. 5. v. 29. Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt. Interdum verò velut aliorum omnium nomine respondet Petrus, Matt. 19. v. 27. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus Te, quid ergo erit nobis? Luc. 12. v. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicas hanc Parabolam, an & ad omnes? Joan. 6. v.

69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ aeternæ habes. Etenus credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius DEI.

Tertia est, quod solus cum Christo ambulaverit, super aquas Maris. Mare significat Mundum juxta Psalmistam: *Hoc mare magnum, & spatiōsum illic reptilia, quorū non est numerus.* Ps. 103. v. 25. Per hoc quod Petrus se misit in Mare, privilegium expressit Pontificii singularis, quod Orbem universum suscepit gubernandum aliis Apostolis vehiculo navis contentis, quae particulares designavit Ecclesias.

Quarta: quod specialiter sit Confessus Christum esse Filium DEi vivi, propter quod audire meruit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est.* Matth. 16. v. 17. Confessus autem est Filium DEi naturalem, non sicut reliqui, qui vocabant eum Filium DEi, ut reliquos Santos; ideo Sanctus Hilarius Petrum vocat primum Filii DEi confessorem.

Quinta; quod speciatim, ac solus iussus sit à Christo Petrus solvere didrachma, pro ipso Christo, ac pro se, unde intulerunt cœteri Apostoli Petrum sibi esse prælatum, ut ait S. Hieron. Chrysostomus Origines. Sex-

Sexta, sicut Ecclesiæ promissa est stabilitas 1. Tim. 3. v. 15. promittitur & Petro, pro quo Christus specialiter orat. Luc. 22. v. 31. *Simon, Simon,*
ecce Sathanas expetivit vos, ut eribraret
sicut Triticum; ego autem oravi pro Te, ut
non deficiat (ecce stabilitas) fides tua: &
tu aliquando conversus, confirma fratres
tuos. Adverte, Confirma Fratres, quod præminentiam significat, & adstruit. SS. Patres agnoscunt, quod tunc Petrus sit constitutus Caput & Princeps reliquorum, stabilis Ecclesiæ stable fundamentum.

Septima; Primus ex Apostolis videt Christum redivivum 1. Cor. 15. v. 5.
Vetus est Cepha, & post hoc undecim.

Octava; Petro Christus prædixit morte, & genus mortis, nimirum Crucis. Joan. 21. v. 18. ejusdem secum voluit fieri partipem mortis, quem ante fecit partipem ejusdem secum muneris.

Nona; Petrus Discipulorum centum viginti cœtum convocavit illisq; proposuit, esse eligendum aliquem in locum Judæ. *Exurgens in medio Fratrum &c.* Actor 1. v. 15.

Decima, Primus omnium Evangelium prædicavit, & in prima prædicatione

114

tione convertit animas circiter tria milia. Act. 2. v. 41.

Undecima; Primus fecit miraculū in Ecclesia ad fidei confirmationem. In Nomine I. Christi Nazareni surge, & ambula, Actor. 3. v. 4. 6.

Duodecima; Petrus tanquam supremus, divinitusque institutus Judex, Anniae, & Saphirae fraudem deprehendens, eos condemnavit, morteque per suum Verbum multayit. Act. 5. v.

5. 10.

Decima tertia; Petrus generalem Visitationem fidelium instituit, Act. 9. v. 32. Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant. Liddæ.

Decima quarta; Utì Judæis, ita & Gentibus primus Evangelium prædicavit, ut ipse innuit, Act. 15. v. 7. Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit, per os meum audire Gentes Verbum Evangelii, & credere.

Decima quinta; Dum Petrus Servaretur in Carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEUM pro eo. Act. 12. v. 5. quod pro aliis factum esse non legitur.

Decima sexta; Praesedit utì in elezione

Editione Sancti Matthiae, ita & in Concilio Hierosolymitano. Act. 15. ¶. 7.

Decima septima; Ejus gratia venit Paulus Hierosolymam, ad Gal. 1. ¶. 18.

Plures prærogativas addere omitto, ne opusculum, cuius compendio studio, excrescat: illud ex præcipuis sit, quod hunc Ecclesia talem agnoscat, hunc Sancti Patres vocent: Primum Christianorum Pontificem, Discipulorum Ducem, Apostolorum Principem, Principem, Caputq, Cœterorum, Caput, Fontem, Radicem totius Ecclesiæ, Vicarium Christi. &c.

Sed & per Prophetas Primatus Petri ^{95.}
fuit prædictus. Unicum adduco Isa. Per Proph.
28. ¶. 16. Idcirco hæc dicit Dominus DE-
US: Ecce ego mittam in fundamentis Sion ^{prædictus.}
lapidem, lapidem probatum, angularem,
preciosum, in fundamento fundatum.

Apostolos fundamenta esse Ecclesiæ
perspicuum est, ex Apocalypsi ubi S.
Joan. describens fundamenta, partes,
& ornamenta Civitatis sanctæ ait: Ex
murus Civitatis habens fundamenta duo-
decim, & in ipsis duodecim nomina, duode-
cim Apostolorum Agni. Apoc. 21. ¶. 14.
Inter quæ fundamenta, quemdam emi-
nere lapidem, qui excellat, Isaiæ verba
indicant: Ecce ego mittam in fundamen-
tis lapidem, lapidem probatum, &c. Sed

116

quisnam iste est Lapis? Explicat ipse Christus Fundator Ecclesiæ, dum dicit ad Petrum. Joan. I. v. 42. *Tu es Simon Filius Jona, Tu vocaberis Cephas.* Syriacum nomen Petram significat, ut ostendit, quod proxime sequitur: quod interpretatur *Petrus*; ubi observatu dignum est utrumq; nomen, quod Græcis & Πέτρος, Πέτρα, significet lapideum, quam ob causam alio in loco Christus eundem Petrum sic alloquitur: *Et ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16. v. 18. Videamus autem titulos lapidis ab Isaia descripti, quibus primatus Apostolici Excellentia depingitur, tam in Petro, quam in successoribus.

Primo: dicitur lapis *probatus*, & quidem jure optimo id convenit sedi Petri, cum omne probationis, & pugnæ genus experta sit, persecutio[n]es, exilia, cædes &c. à Judæis, Græcis, Barbaris, Turcis, Hæreticis, Schismaticis, Atheis, Imperatoribus, Regibus, optimatibus &c. nec in fide vacillavit. Et ne Pontificum sanctitati stabilitas hæc tribuatur, cum tribuenda sit Christo, qui Ecclesiæ suæ Sponsæ promisit, cum ea se futurum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Matth. 28. v.

20. permisit ut eorum nonnulli vitam
parum ducerent religiosam, si vera sunt
quæ de illis scribuntur.

Secundò: *angularis*, quia duos parie-
tes, Judæos scilicet: & Gentiles colli-
gat, & hæc est differentia, inter Ponti-
ficem Judæorum, qui lapis quidem e-
rat, & fundamentum, non tamen lapis
angularis; Gentiles enim Judæis non
colligabat, nam Gentiles extra Syna-
gogam erant.

Tertiò; *preciosus* dicitur; quia ex eo
infinitus thesaurus in Ecclesiam totius
mundi dimanat; cùm à sede Romana
Petri Evangelium delatum sit in Galli-
am, Germaniam, Angliam, Hungariam,
& omnia Regna. Habemus ex hac se-
de Dogmatum explanationem, Sacra-
mentorum Cæremonias, Indulgentia-
rum co[m]unicationem, in credendo u-
nitatem, ut sit nobis vinculum pacis,
& quasi nodus fidei.

Quartò: in *fundamento fundatus*, ut
fundamentum quidem agnoscamus,
sed dependens, sed posterius, sed sub-
alternum, suppositumq; independenti,
primo, summo, absolute, suiq; ordinis
unico fundamento, de quo Apostolus,
I. Cor. 3. v. 11. Fundamentum enim a-
liud nemo potest ponere, præter id, quod po-
nitum est, quod est Christus JESUS. Talis est

Iapis hic fidelibus; incredulis vero la-
pis offensionis, & Petra Scandali; nec
enim animalis homo per Sapientiam
Mundi, quæ stultitia est apud DEum,
capere vult, quod homo mortalis, pec-
cator, cœteris similis, censendus sit
fundamentum Ecclesiæ perpetuo sta-
bilis futuræ, quæ est columna & Firma-
mentum veritatis, 1. Tim. 3. v. 15.

96. Quemadmodum autem in Synago-
^{Petro mor-}ga, quæ fuit umbra Ecclesiæ Christi, u-
^{suo succe-}
^{dunt alii} ni Pontifici successit aliis, Aroni, Elea-
^{in regimi-}zarus, Eleazaro, Phinees, &c. Ita &
^{ne Eccle-} in Ecclesia fieri necesse est. Nam cum
^{sa.} Ecclesia usq; ad finem mundi mansura
sit, debet etiam ejus fundamentum
manere, id est Petrus, Petrus autem in
persona propria manere non potuit,
ergo debet manere in successore.

Secundò, potestas solvendi, & ligan-
di data Petro semper debuit manere in
Ecclesia Christi, quamdui ea durat, er-
go cō mortuō, debuit transferri ad
successores.

Tertiò, Petrus erat Pastor totius Ec-
clesiæ constitutus, secundum SS. Pa-
tres, ut unitas Ecclesiæ servetur; hæc au-
tem necessitas unitatis servandæ, est
etiam post mortem S. Petri, imò ma-
jor. Ergo.

Quar-

Quartò: Pastor est propter gregem, ergo cum Grex Christi maneat post mortem S. Petri, debet habere suum Pastorem alium; cùm non Grex committatur Pastori in ejus commodum; sed Pastor instituatur in commodum Gregis. Sicut Reges, & Principes constituit in commodum Populorum DEus, & subditorum saltem primariò, & non populos in commodum Principum, & Regum.

Succedit ergo in hoc munere Petro Pontifex Romanus, qui ei succedit in sede & Episcopatu. Propositio supponit Petrum fuisse Episcopum Romanum Sedisse Romæ, quod Acatholici impugnant; verum Authoritas Ecclesiæ, Scriptorum, & SS. Patrum afferentium, Sanctum Petrum sedisse Romæ, major nobis debet esse, quam temeritas negantium. Calv. Lib. 4. Inst. C. 6. §. 15. ob authoritatem SS. Patrum, concedit Petrum esse Romæ mortuum; ergo ob eandem debet admitti etiam ab Acatholicis Calvinum sequentibus, quòd ibi sedem habuerit, cùm id SS. Patres afferant, & specialis ratio negandi non sit. Et certè conveniens erat, ut ubi Sathanas sedem fixerat iniquitatis, ubi colluvies erat Idololatriæ & superstitionis; ibi constituatur fundamen-

97.

Romanus
Pontifex
successor
Petri in
regimine
ne.

tum, & caput veræ Religionis. Quis autem dubitabit, Romæ plūs, quam alibi superstitiones, & Idololatriam viginisse?

Dixi illativè: *Succedit ergo;* si enim is, qui succedit Regi, v. g. Hungariæ S. Stephano in throno, & Corona, succedit in Regio munere, & potestate, clarum est, quod & is qui succedit S. Petro in Episcopali sede, succedit in Episcopali munere, & Potestate. Aliquis Petrus successit in Vicaria Christi potestate; alijs autem succedere non potuit, quam Romanus Pontifex. Verum est, quod S. Petrus Antiochiæ federit prius septem annis, sed hanc ante mortem longè deseruit, & cessit Evodio, nec sedi huic unquam à Sanctis Patribus fuit delatus Primatus, vel à Conciliis. Cùm è contrà SS. Patres Episcopum Romanum agnoscant universalem Papam, universalem Principem pastorum, Primæ sedis Antistitem, omnium Capitum Caput, & sumum Pastorem Patrum &c. Concilium Nicœnū i. Can. 6. dicit: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Chalcedon. Qui tenet sedem Romæ, Caput, & Princeps est omnium Patriarcharum. Can. 39. Alibi autē à Concilio Chalc. Act. i. Papa Romanus vocatur: *Omnium Ecclesiæ Caput, universa-*

versalis Ecclesia Papa. In Niceno 2. Dicitur Romana sedes per totum Orbem primatum obtinere.

Ostenditur ulterius ex praxi Veteris Ecclesiae; nullum enim Concilium habitum est legitimum, nisi auctoritate Romani Pontificis niteretur.

Secundò, in exortis Quæstionibus circa fidem, ex toto orbe ad Romanum Pontificem, tanquam ad supremum Judicem appellatum est.

Tertiò, Romanus Pontifex hæreses exortas condemnabat; Quartò, à Pontifice Romano appellatio ulterior non dabatur. Quintò, ille Episcopos in toto Orbe instituit, depositus restituit. Sextò, Regna integra, & Gentes, quæ Christi fidem amplectebantur, non ad alium, quam ad Romanum Pontificem, pro susceptione in gremium Ecclesiae; pro ordinandis sibi Ecclesiis, Episcopatibus, accedebant. Recolat unaquæque Gens annales suos, videbit, & deprehendet.

Majores suos, dum è Gentilitatis tenebris ad Lucem Evangelii miserantis Dei gratiâ transibant, ad Romanum Pontificem, pro benedictione, Ecclesiarum suarum ordinatione &c. & non ad alium ullum recurrisse.

Cum ergo Romanus Pontifex sit suc-

98.

H 5

ces-

Ejus est
decidere
contro-
versias fi-
dei.

cessor S. Petri in Ecclesiæ Regimine, ad illam spectat judicare res fidei controversas, & de Scripturarum sensu. Illi dicitur, Luc. 22. v. 32. *Et tu aliquando conversus confirma (sine dubio in fide) fratres tuos.* Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum &c.* id est, potestatem aperiendi Cœlum, quibus clausum est; claudit autem Cœlum ignorantia fidei. Joan. 21. v. 17. *Pascœ oves meas, utiq; pabulo veræ fidei.* Hos Textus sic applicant Sancti Patres, & Ecclesia Pontifici Romano.

99.
*Errare
non potest
in deci-
dendo ut
Pontifex.*

Nec potest errare in decisionibus fidei, si decidat ut Pontifex, de Cathedra, & ex officio; id est, quando intendit totam Ecclesiam obligare ad suam sententiam tenendam, v. g. Dum Canonizat aliquem Sanctum; vel propositionem aliquam tanquam hæreticam damnat, &c. spectat enim ad DEI prævidentiam, ut illum errare non permittat. Ratio est,

Primò, Ecclesia errare non potest, ut dictum N. 86. Ergo nec Pontifex, qui eam regit.

Secundò, Pontifici datæ sunt Claves à Christo ad aperiendum Cœlum; ac clauderet illud, non aperiret, si in rebus fidei erraret.

Tertiò, Cum Pontifici Christus di-
xerit:

xerit: *Pasce*, dedit illi omnia necessaria ad pascendum; ad hoc autem est necessaria in rebus fidei infallibilitas, si enim erraret in fide, non *paseret*, sed *inficeret oves Christi*. Ergo.

Quartò. Pontifici dictum est; *Confirmat fratres*; si autem in fide erraret, *non confirmaret*, verum *deciperet* fratres.

Quintò, sic sentiunt SS. Patres, & Ecclesia; quas enim hæreses damnavit Pontifex, damnavit Ecclesia. Demum Ecclesia errare non potest, atqui Ecclesia dicit, Pontificem errare in decisionibus fidei non posse, ergo errare non potest Pontifex.

Potest tamen errare, si decidat ut privatus Doctor, uti & in quæstionibus facti, quæ concernunt negotium privatum; in his enim relinquitur iudicio suo naturali. Hinc licet Pontifex possit esse quoad vitam improbus, id infallibilitati in decisione rerum fidei officere non potest, si decidat ut Pontifex. Nam quis sceleratior quam Caiphas, qui Christum ad mortem condemnavit? quia tamen erat Pontifex anni illius, prophetavit, id est, docuit, quod verum erat, Joan. 11. v. 49. Ideo Christus Dominus dixit: *Quaecunq; dixerint vobis, servate, & facite; secundum opera*

100.
*Potest in
aliis ut
privatus.*

v. 2.

Per quod clare significavit, vitam
improbam Pontificis non obstare ejus
infallibilitati in decidendo, & in diri-
gendo, ac gubernando Ecclesiam. Imò
id DEo inglorium non est, qui eligit
infirma mundi, ut confundat fortia;
sicut mirabile est, quòd per Piscatores
convertit Mundi Principes, quòd ad
vilia elementa, aquam, oleum, panis,
& yini species, alligaverit vim Sacra-
mentorum; quòd per stultitiam præ-
dicationis crucifixi salvet credentes;
sic etiam, quòd homines mortales, &
peccatores faciat Ecclesiæ Petram, co-
lumnam & firmamentum veritatis;
qui licet in rebus privatis, ac se con-
cernentibus errare possint; in rebus
verò Ecclesiæ fidem spectantibus à ve-
ritate non valeant deviare.

Uti & in Veteri Testamento, quod
umbra erat Novi, factum esse constat;
Ubi DEus ad Pontificem hominē cœ-
teroquin mortalem, peccatorem, qui
in rebus privatis falli, & fallere potuit,
litigantes, in rebus controversis, quæ
ad DEum pertinent dirigebat, 2. Paral.
19. v. 11. Ut accipiant Judicii verita-
tem, sententiæq; ejus sub pœna mortis
acquiescere debebant, ut clarum est ex
Deuter. 17. v. 9. & sequentibus. CA-

CAPUT XXI.

Quod Judex in decidendis Controversiis fidei non possit esse sacra Scriptura sola.

A BUNDÈ quidem id colligitur ex supra dictis, quia verò in hac quæstione cardo rei vertitur, judicavi non inutile futurum, si proponam summatim argumenta, quæ ostendant sacram Scripturam non posse esse Judicem controversiarum fidei; prout nimirum judex ferens sententiam, debet distingvi à norma, & regula, juxta quam sententiam fert.

Primò enim, Judex inter litigantes 101.
 ita debet pronunciare sententiam, ut Litigantes debet
 uterque litigantium possit intelligere, intellige-
 quænam sit sententia Judicis, & possit re pro quo rat sen-
 alter eorum fateri, pro se, alter contra Judex fe-tentiam:
 se latam esse sententiam: hoc autem Scriptura id presta-
 sacra Scriptura facere non potest; nam re non per-
 de variis dogmatibus inter se dissident test.
 Calvinistæ, Lutherani, Unitarii, in unaquaq; earum religionum, v. g. Inter Remonstrantes,
 Remonstrantes, & Contra - Remon-
 strantes: Puritanos, & Anti-puritanos
 apud Calvinistas circa sensum Scri-
 pturarum gravis est contentio; omnes
 Judicem allegant sacram Scripturam,
& ta-

& tamen hactenus nulla pars à Scriptura audivit pro se, vel contra se latam esse sententiam ; aliás enim cessaret inter eos dissidium. Sequitur ergo, quod sacra Scriptura, ut ut per eos clara, & perspicua, non ferat sententiam, adeoq; non sit **Judex** Controversiarum ; vel si sententiam tulit, vel Calvinistas, vel Lutheranos, &c. esse pericaces necesse est, qui sententiæ latæ non acquiescunt. Dicant quæso, pro quibus lata sit sententia, & probet Calvinista, vel Lutheranus contra Ariatum argumento tali, pro se latam esse sententiam, quod is pro se assumere non possit.

^{102.} Secundò : In Scriptura sacra duo spectantur : Litera, & sensus : secundum neutrum horum autem Scriptura literam potest esse **Judex** controversiarum fidei ; non secundum Literam : nam ille non potest esse **Judex** infallibilis, qualis hic debet esse, qui ducit in errorem , Scriptura autem si ejus nudam literam spectes ducit in errorem , nam teste Apostolo : *Litera occidit ; Spiritus autem vivificat.* 2.Cor.3.¶.6. Sic Manichæi ad Literam accipientes Scripturam, Vetus Testamentum afferebant esse contrarium Novo , eò, quod diceret : *Deum creâsse omnia,* Gen. 1.

V. I. Novum autem dicat Verbum cre-
âsse omnia, Joan. I. v. 3.

Non etiam Scriptura potest esse Ju-
dex, si ejus sensum spectes; nam Scri-
ptura quoad verum, & legitimum sen-
sum sâpe est obscura, & difficilis intel-
lectu, ex qua obscuritate sâpe oritur
controversia, quoad ejus legitimum
sensum, & quoad hoc, quis nempe sit
legitimus Scripturæ sensus, non potest
esse Judex ipsa Scriptura, etiam diver-
fis locis inter se collatis, quasi verò u-
nus alterum explicaret; nam unus li-
tigans potest dicere: hunc esse altero
clariorem, secundùm hunc esse expli-
candum alterum; alter vice versa, al-
terum dicet esse clariorem, & per se-
cundum debere explicari primū; Scri-
ptura autem semper manebit in suis
terminis, nunquam dicet, hunc esse ob-
scrum, illum clarum, hunc per illum
explicari debere. Ergo Scriptura in
hoc negotio Judex esse non poterit.

Deinde multa sunt testimonia Scri-
pturæ, quorum sensus legitimus non
potest haberi ex Scriptura. v. g. Eantes
docete omnes gentes, baptizantes eos in No-
mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Matth. 28. v. 19. Sensus verus etiam
juxta Adversarios est, quod in Bapti-
smo debeant hæc verba pronunciari, &
quod

103.

Neque si
ejus sen-
sus spectee-
tur.

104.

Multorâ
textuum
Scripturæ
sensus le-
gitimus,
ex scri-
pturahs-
beri now
potest.

quod non sufficiat interna voluntas,
 & intentio baptizandi *in nomine Patris*
 &c. Similiter Christus Dominus in ultima Cœna dixit in institutione Eucharistiae: *Comedite, bibite: in lotione autem pedum: Et vos debetis, alter alterius lavare pedes.* In primis verbis: *Comedite;* etiam Acatholici agnoscunt Præceptum, & quidem ut prætendunt, quod obliget ad sumendam Eucharistiam sub utraq; specie, quoad lotionem pedum autem præceptum non agnoscunt. Quæro unde illis constat, esse præceptum, & quidem quoad sumpcionem utriusq; speciei; non vero esse præceptum quoad pedum lotionem, cum illud *debetis*, videatur sonare præceptum? Sicut si Pater-familias dicat servo: *Tu debes parare Mensam;* Convivis autem dicat: *Comedite, bibite, lati gestote:* Ubi verba priora vim præcepti habere judicabuntur, non vero posteriora dicta Convivis.

Tertiò, multæ Controversiæ sunt circa fidem, quarum vel nulla mentio fit in Scriptura, vel non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de his definiat, ergo circa has alias Judex quæri debet. Adfero duas: 1. An Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæo-
 105. rum sint Canonici? Affirmamus Ca-
*Multarū controver-
 fiarum fi-
 dei men-
 tio nulla,* tholi-

tholici, negant Acatholici: quis erit ~~vel non~~
 Judex? quis litem decidet? Scriptu-
 ra esse non potest. Nos allegamus <sup>sufficiens
est in scri-
ptura.</sup>
 Traditionem Ecclesiæ; illi Tradicio-
 nem Judæorū; quia, inquiunt, in Ca-
 nōne Hebræorum apud Hieronymum
 non reperiuntur; ideo pro Canoniciis,
 & divinis haberi non possunt. Fa-
 tentur igitur, alitum in hac causa judi-
 cem, quām Scripturam esse oportere.
 Et quem illum? Traditionem Judæo-
 rum? Mira res! pluris Judæos, quām
 Christianos faciunt, & cùm ipsi Chri-
 stiani esse velint, Catholicæ Ecclesiæ
 Traditionibus infensi sunt; Judæo-
 rum autem Traditiones in pretio ha-
 bent. Cur non dicunt cum Augusti-
 no Libr. 18. de Civitate DEi. C. 36.
*Machabæorum Libros, non Judæi, sed Es-
 clesia pro Canoniciis habet.*

2. Quot sint Sacra menta Novæ Lé-
 gis? Catholici dicimus septem, Aca-
 tholici communiter duo. Quid autē Scriptura?
 nihil de hoc numero definit
 expressè, proinde judex in hac Con-
 troversia esse non potest. Unde ergo
 Catholici habent esse septem? Ex Tra-
 ditione, & Consensu Ecclesiæ. Unde
 Acatholici esse duō? viderint ipsi.
 Certè ex Scriptura hoc non habent;

(130)

aut si putant se habere , præstent hæc
Tria :

Primò : ex Scriptura ostendant no-
men Sacramenti tribui Baptismo , &
Eucharistiæ , non item Confirmatio-
ni, Ordini, Pœnitentiæ , Extremæ un-
ctioni , Matrimonio.

Secundò : ex eadem Scriptura de-
finiant Sacramentum.

Tertiò , demonstrent definitionem
convenire Baptismo , & Eucharistiæ ,
non verò reliquis. Hæc si præstent
salyates est ; at nunquam præstabunt.

Quartò : in Veteri Testamento non
Scriptura , sed Pontifex erat Judex
*Contro-
versiarum* Controversiarum Legalium majoris
Judex in momenti , uti & earum rerum , quæ ad
antiqua Decalogum , Cultum DEi , & Fidem
Lege non speßtabant , uti patet ex Deuter. 16. v.
*erat Scri-
ptura.* 18. Deut. 17. v. 8. 2. Paral. 19. v. 10.
Exod. 18. Num. 11. v. 16. Erat au-
tem apud illos duplex Tribunal , ut ex
suprà citatis patet , Minus , quod ha-
bebatur in singulis Civitatibus , in quo
res faciliores , & minores discutieban-
tur , ab hoc appellabatur ad aliud . Ma-
jus , constans ex Personis septuaginta ,
præter Pontificem qui præsidebat , in
hoc discutiebantur causæ appellariæ , &
omnes majores etiam ad fidem spe-
stantes , ut patet ex 2. Paral. 19. v. 11.

Anno;

*Amarias autem Sacerdos & Pontifex ve-
ster, in his, quæ ad DEum pertinent, præsi-
debit; Quæstiones autem fidei, ad DE-
um pertinent. Sic quæstio Herodis
Matth. 2. v. 4. Ubi Christus nascetur?
ad fidem spectabat, quæ ad Concilium
delata fuit, nec eam audebat Herodes
extra Concilium discuti facere.*

Quinto, etiam in Novo-Testamen-
to semper vel à Pontifice, vel à Con-
ciliis per Pontificem approbatis, &
non à sacra Scriptura litigantes de fi-
dei rebus suam acceperunt, & audive-
runt sententiam. Sic dum tempore ^{praxis} Apostolorū quæreretur: an Circum-
cisio, & observatio Legalium sit ad ^{postolo-}rum.
salutem necessaria? Non definivit
quæstionem Scriptura sacra, nec Pau-
lus, vel Barnabas, licet eam determi-
nare potuissent, cum fuerint Apostoli,
Prophetæ, & Doctores ambo, & spe-
cialiter à DEo electi, ut Gentibus E-
vangelium prædicarent; sed quæstio-
nem detulerunt ad Concilium Apo-
stolorum, ubi quæstio fuit discussa, &
terminata. Apostoli porro, licet po-
tuissent in utramque partem quæstio-
nis testimonia Scripturæ adducere, ea
non adduxerunt, sed ex directione
Spiritū Sancti, quam Christus promi-
xit illis, & successoribus, sententiam

protulerunt : *Visum est Spiritui Sancto,*
& nobis, Act. 15. v. 28.

108.
Et Ecclesiæ primæ usq; ad modernæ tempora in decisio-
ne Controversiarū. Post tempora Apostolorum diversæ Controversiæ exortæ definitæ sunt à Romano Pontifice, vel à Conciliis à Pontifice approbatis, & qui sententiæ eorum parere noluerunt pro Hæreticis sunt habiti.

Sic decisum est primò: Utrum Pascha debeat celebrari die Dominico; & non cum Judæis decimâ quartâ primi Mensis tantum? definitum à Victore Papa post multa Concilia Anno 198.

2. An lapsi post baptismum absolvitæ à peccatis possint? Negavit Novatianus, damnatus à Concilio Rom. sub Cornelio Papa Anno 255.

3. An in Dœo sint tres personæ reæliter distinctæ? Negavit Sabellius, assertoribus esse unam tantum, damnatus à Concilio Alexandrino sub Sylvestro Papa Anno 319.

4. An Christus sit purus homo? asservuit Paulus Samosatenus, damnatus à Synodo Antiochena, tempore Dionysii Papæ Anno 266.

5. An Christus sit Verbum Patris, ejusdémque cum eo substantia? Negavit Arius, damnatus à Concilio Nicæno I. sub Sylvestro Papa Anno 325.

6. An

6. An Spiritus Sanctus sit Deus?
Negarunt Macedoniani, damnati in
Cocilio Constantinopolitano I. sub
Damaso Papa Anno 383.

7. An homo sine gratia Dei per so-
las vires naturae possit implere legem,
si velit? Afferuit Pelagius, & Cœlesti-
us, damnati in Concilio Milevitano
sub Innoc. I. Anno 416.

8. An parvuli nascantur in peccato
originali, & ad illud abolendum indi-
geant Baptismo? Negavit Pelagius &
Cœlestius, damnati in Concilio Mile-
vitano, & postea à Zosimo Papa. Alia
brevitatis causâ omitto.

In his autem tria notantur. I. ^{109.}
Quod altera pars litigantium clarè sit
damnata. 2. Quod hæc damnatio ^{Damnati ab Eccles.}
facta sit ab Ecclesia tanquam à Judice, ^{fia, babi-}
quæ aliquando tulit sententiam per ^{ti pro Hæ-}
Pontificem, qui est Caput Ecclesiæ;
aliquando per Concilia, quæ repræ-
sentant Ecclesiam. 3. Quod Luthe-
rani, & Calvinistæ agnoscant hanc da-
mnationem esse legitimè factam, legi-
timè esse condemnatum Sabellium,
Arium, Nestorium, Pelagium &c. &
pro Hæreticis haberi debere, idq; ex
Ecclesiæ decisione.

Quod si sola Scriptura esset Judex,
& Ecclesia suam sententiam non inter-

posuisset; in hodiernam diem dura-
rent illæ Controversiæ, nec constaret
suprà dictos Authores pro hæreticis
esse habendos; nunc cùm ab Ecclesia
damnati sunt, certa & indubitata r̄s
est.

xro. *Analogia*
Judicis
Contro-
versiarum
Civilium
sum Judi-
dice Con-
troversia-
rum fidei.

Sextò, ostenditur ex proportione,
quam habet Judex Controversiarum
Civilium, cum Judice Controversia-
rum fidei; habent enim multiplicem
Civilium, proportionem. Nam primò; sicut in
Politīcis & Civilibus sāpe oriuntur li-
tes, quæ requirunt Judicem, qui sen-
tentiam ferat inter litigantes; sic et-
iam sit iā fide, & Religione. Secundò;
Sicut in Controversiis Civilibus di-
stinguntur hæc tria: Judex, Lex scri-
pta, & consuetudo: sic etiam in Con-
troversiis fidei hæc tria: Judex, Scri-
ptura utriusq; Testamenti, & Tradi-
tio. Tertiò: Sicut Princeps, vel Ma-
gistratus secularis fungitur officio Ju-
dicis in decisione Controversiarum Ci-
vilium: Sic Princeps Ecclesiæ, vel Sy-
nodus Ecclesiastica fungitur officio Ju-
dicis in decisione controversiarum fi-
dei. Quartò: sicut Lex scripta, est
quasi norma quædā seu Regula, quam
sequitur Judex Secularis in deciden-
dis Controversiis Civilibus; sic etiam;
Scriptura utriusq; Testamenti, est qua-

si norma quædam , seu Regula , quam
 sequitur Judex Ecclesiasticus , in deci-
 dendis Controversiis fidei. Quintò:
 Sicut sola Lex scripta non est suffici-
 ens , & integra norma , seu regula , omni-
 um Controversiarum Civilium ; sed
 Lex scripta , & consuetudo simul : ut
 si moveatur Controversia de re , de qua
 nulla Lex scripta extat , vel quando
 extat quidem Lex scripta , sed ambi-
 gitur de mente , & sensu illius , nec ali-
 unde , quam ex consuetudine de ea
 stare potest : sic etiam Scriptura utri-
 usque Testamenti , non est sufficiens
 norma , & regula omnium Controver-
 siarum fidei , sed Scriptura , & Traditione
 simul . Quòd si demum occurrat ali-
 qua Controversia in Civilibus , quæ
 nec ex Legescripta , nec ex consuetu-
 dine definiri posset ; aut si occurreret
 casus aliquis , qui comprehenditur qui-
 dem sub verbis Legis , non tamen sub
 mente Legislatoris ; tunc Judex ex
 æquitate naturali rem debet compo-
 nere , ex æquo , & bono debet sententi-
 am pronunciare : Ita in Controversiis
 fidei , aut religionis , si occurrat Con-
 troversia aliqua , quæ neq; ex Scriptu-
 ra , neq; ex Traditione decidi possit ,
 recurrendum eslet ad auxilium Spir-
 itus Sancti , qui tametsi omni casu Ec-

clesiæ suæ adesse solet, in hoc tamen
specialiter secundùm Christi promis-
sum, Joan. 16. v. 13. doceret eam
omnem veritatem, quô remedio usi sunt
Apostoli in Cōcilio Hierosolymitano,
ubi agebatur de Circumcisione, & ob-
servatione Legalium, dum sententiam
præcisè edixerunt: *Visum est Spiritui
Sancto, & nobis*, Act. 15. v. 28.

Conclusio.

EX his habes L. B. totam Acatho-
licorum fidem fundatam esse in
arena, eos regulâ fidei carere, solam
sacram Scripturam non esse fidei regu-
lam adæquatam, & controversiarum
judicem, cùm ex sola sacra Scriptura
ne id quidem credi, & sciri possit, quod
hic, vel illè liber sit sacer, quod hoc vo-
lumen, quod pro sacra tenemus Scri-
ptura, re ipsa sit sacra Scriptura. Simi-
liter ex sacra Scriptura sciri non posse,
quis sit legitimus hujus, vel illius loci
Scripturæ sensus, quis tanquam obscu-
rus per alium ut clarum explicari de-
beat, quis censendus sit clarus, quis
obscurus, nec ad hoc judicandum esse
aptum spiritum privatum ab Acatho-
licis prætensem, neq; à DEo in Eccle-
sia ad

na ad id ordinatum; sed factum, ac vanè ab Acatholicis arrogatum. Inaniter DD. Acatholicos recurrere ad Principes, & Magistratus seculares, vel etiam ad sua Concilia in rebus fidei controversis. Proinde, dum Aca-tholicus quemcunq; Articulum suum quotcunq; textibus sacræ Scripturæ congestis firmare intendit, cùm ex principiis suis, nec probare possit, tex-tus illos re ipsa esse sacræ Scripturæ textus, nec eorū legitimū sensum sci-re, clarum esse, cum Arriculis suis af-sensum dare non posse tanquam à DEo revelatis, adeoque fide Divina nihil credere posse. Deinde, quòd in dis-ceptatione de aliquo Articulo fidei, sufficienter Acatholicus convincatur erroris, quotcunq; pro parte sua ad-ducat sacræ Scripturæ textus, si ei os-tendatur, textuum illorum sensum legitimum, & genuinum esse alium, quām ab illo accipiatur, accipi eos a-lio sensu ab Ecclesia, quæ est *Columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. v.

15. Quam Spiritus Sanctus docet o-mnem veritatem, Joh. 16. v. 13. De-niq;, quòd Catholici certi, & securi de Ecclesiæ infallibilitate, dum ab ea accipiunt, hoc, vel illud esse à DEo re-velatum, & credendum, hunc, & non

alium esse hujus vel illius textus Scripturæ sensum; veritatibus, & Articulis propositis possint assentiri tanquam à DEo revelatis, adeoque credere fidem Divina salvifica; in qua omnibus, eam ex DEi dono tenentibus constantiam, ignorantibus vero, & errantibus cælesti lumen, & ad eam amplectendam.

DEI Optimi Maximi gratiam
precor, & exopto, cui sit
HONOR & GLORIA.



Sylla-



Syllabus Capitum.

CAPUT I.

Premittuntur quædam de Fide.

Pag.
5.

CAPUT II.

Quæ Regula Fidei prætendatur ab Acatholicis &
que servetur à Catholicis ?

10.

CAPUT III.

Qui Libri Scripturæ sint Sacri, non potest sciri
præcisè ex Scriptura ipsa, sed ex sola Ec-
clesiæ Traditione habetur.

16.

CAPUT IV.

In questione proposita ineptè recurritur ad spi-
ritum privatum.

21.

CAPUT V.

Magis universè ostenditur Scripturam saeculare
per se præcisè sumptam, ad fidei Dogma-
ta sancienda non esse sufficientem usque-
quaque.

26.

CA-



CAPUT VI.

Ineptum, & absurdum est, in sacrae Doctrinæ Controversiis, non ad publicum Ecclesiæ sensum, sed ad privatum cuiusq; fidelis persuasionem recurrere.

30.

CAPUT VII.

Alia rationes contra spiritum privatum.

34.

CAPUT VIII.

Impugnatur ulterius spiritus privatus ab A. catholicis prætensus.

45.

CAPUT IX.

Instabilis, & inconstans fidei Regula apud Acatolicos.

49.

CAPUT X.

Temere usurpantes analogiæ rationem, quam male Scripturam interpretentur.

56.

CAPUT XI.

Omnibus hæresibus fuit, & est proprium, non sensum suum ad sacras Scripturas, sed Scripturas sacras ad suum accommodare.

58.

CA-



CAPUT XII.

Fides specialis Reformatorum, non nititur
sacrâ Scripturâ, ut Regulâ.

60.

CAPUT XIII.

De recursu Acatolicorum ad Principes, &
Magistratus seculares in rebus fidei con-
troversis.

62.

CAPUT XIV.

Synodi Acatolicorum inepta ad sopiendas
controversias fidei.

76.

CAPUT XV.

Summa Doctrina Acatolicorum de regula
fidei.

85.

CAPUT XVI.

Ecclesiæ Catholice in fidei causa procedendi
ratio.

87.

CAPUT XVII.

De Traditionibus.

91.

CAPUT XVIII.

An Acatolici aliquas Traditiones admittant?

101.

CA-

¶)(*)(*)

CAPUT XIX.

De Ecclesiæ stabilitate, infallibilitate, & visibilitate.

102.

CAPUT XX.

De Capite Ecclesiæ.

106.

CAPUT XXI.

Quod Judex in decidendis controversiis fidei non possit esse sacra Scriptura sola.

125.

FINIS.





